



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1718

urn:nbn:de:gbv:46:1-6101

BIBLIOTHECA

Historico-Philologico-
THEOLOGICA.

Classis primae

FASCICULUS QUINTUS.



FRANCOFURTI & LIPSIAE.

BREMAE.

Typis & impensis RUDOLPHI HOFFERI
& prostat apud Joh. Andr. Grimm, Bibl.
Anno, M D CC XVIII.

VIRO

*Venerabili, Excellentissimo &
Gravissimo*

BENEDICTO
PICTETO,

THEOLOGO LONGE
CELEBERRIMO,

Ecclesiæ Scholæque Gene-
vensis Pastori & Professori
ordinario,

DOCTRINÆ VERITATIS, QUÆ
SECUNDUM PIETATEM EST
ADSSERTORI ATQUE DEFENSORI
FORTISSIMO FELICISSIMO

Quin-

*Quintum hunc
hujus*
BIBLIOTHECAE
FASCICULUM,
Qua æquum est observantia
inscribunt,

Utque pro eo,
Quo apud exteros immortale jam a
longis annis nomen meritus est,
In rem Christianam juxta ac literariam
promovendam fervore,
Sux quoque diligentix & eruditionis
monimentis
Institutum hoc ornare & promovere
velit,

ENIXE ROGANT

EDITORES.

Con-

Continentur hoc fasciculo:

- I. Joh. D'OUTREINII dissertatio de Piscina Bethesdæa, Joh. V. 1. 4. p. 597.
- II. Stephani VITI de genuina humanæ libertatis natura & liberi arbitrii cum divinæ prædestinationis, providentiæ & vocatio- nis necessitate conciliatione dissertatio, p. 661.
- III. Jac. HASÆI de *Glossomatibus* quorundam locorum *Novi Testamenti*, quæ textui causa explanationis adscripta, hinc in ipsum verborum ordinem intrusa esse existimantur, dissertatio. p. 687.
- IV. ANONYMI annotationes quædam de *Michaele Serveto* ad illustrationem eorum, quæ in Cl. Viri *de la Roche* Bibliotheca Anglicana Tom. II. P. I. de eo nuper narrata sunt. p. 739.



I.
JOHANNIS D'OUTREINII

DISSERTATIO

HISTORICO-PHILOLOGICA

DE

PISCINA BETHES-
DÆA.

Joh. V. 1-4.

ARGUMENTUM.

§. 1. **T**empus miraculi a quibusdam pascha fuisse sta-
tuitur. 2. Argumenta eorum ad examen
revocantur. 3. Alii ergo pentecosten volunt. 4. Alii
festum Scenopegias aut festum Purim, quæ postrema La-
mij sententia præfertur. 5. Circa locum variæ lectiones
recensentur & vulgata defenditur. 6. Piscina seu lava-
crum fuit non pecudum sed purgandorum hominum se-
cundum Ligistotum 7. Nomen lavacri Bethesda, quod
repudiatis aliorum conjecturis designat domum miseri-
cordiæ. 8. Quo modo porticus quinque hujus lavacri

V. Fascicul.

Qq

line

Sint concipiendæ. 9. Antequam ad miraculum ipsum transitur, versus quarti *ΥΠΟΘΕΤΗΣ* defenditur. 10. Ex professo Bartholioi sententia de naturali quadam virtute sanatrice huius lavacri refutatur. 11. Hammondi quoque *ἡρεο Φυγία* sub incudem vocantur. 12. Argumenta pro aquarum harum vi miraculosa breviter repetuntur. 13. Inquiritur porro, quomodo Angelus aquam turba- verit? 14. Quam crebro turbatio illa obtigerit? 15. Quando miraculosa hæc vis inceperit & quousque durave- rit? 16. Pauca adduntur allegorias Patrum in hunc lo- cum spectantia.



S. I.

Circumstantia temporis, quo histo- ria hæc contigit, exprimitur commate I. *Μετὰ ταῦτα ἦν ἑσπρὴ Ἰσδαίων.* Post hæc erat Festum Ju- deorum. Verum quodnam Festum id fuerit, de eo in diversa eunt Interpretes. Inter Ve- teres notante Grotio, primus *Ireneus* de Pa- schatis festo cogitavit. Lib. II. c. 39. ubi di- sputat adversus *Gnosticos*, qui arguebant Chri- stum non nisi unum annum post baptismum publice docuisse & in vivis fuisse. Quos eo argumento refellit, quia tria diversa Paschata memorantur, quibus Christus adscendit Hi- erosolimam. Primum Joh. II. 12. Alterum hoc loco: Et post hæc iterum secunda vice adscen- dit in diem festum Pasche Hierusalem, quando Pa- ralyticum qui juxta natatoriam jacebat XXXVIII. annos, curavit, jubens ut surgeret & inferret gra- batum suum & iret. Et tertium, quum passus est. Quan-

Quamquam hæc male cohærent cum iis, quæ eodem capite asserit idem Auctor, Christum ultra quadragesimum aut etiam quinquagesimum annum docuisse. Ubi impetu refellendi Gnosticos, in contrarium plane errorem delatus est.

Richardus Montacutius, Episcopus Norwicensis, in *Orig. Eccl. Tom. I. part. II.* qui etiam posteriorem hunc errorem Irenæi agnovit, in eadem tamen cum ipso est sententia circa festum Paschatis, hoc loco designatum. Argumentum præcipuum est, quod Johannes simpliciter dicat festum. Jam autem Paschatis festum sic appellari soleat, tanquam principium & præcipuum festorum omnium. Sic enim legitur Joh. IV. 45. *Quæ fecerat Hierosolymis ἐν τῇ ἑορτῇ, in FESTO. Nam & ipsi (Galilæi) venerant eis τὴν ἑορτὴν, ad FESTUM.* Item Joh. XI. 56. *Quid videtur vobis annon venturus est eis τὴν ἑορτὴν, ad FESTUM?* Ubi de Paschate agi liquet ex commate præcedente. Nec non Joh. XII. 12. *postero die turba multa, quæ venerat AD FESTUM.* „Nam, pergit Montacutius, quum dispensatio posset intercedere, de non interessendo duobus reliquis festis *Scenopegiarum* & *Pentecostes*, ut longe habitantes excusarentur, absentia a Paschatis solennitate, nisi per ineluctabilem necessitatem, non excusabatur. Putat ergo cum Barradio, si a baptismo Paschata numeramus, QUINQUE fuisse Paschata, quæ Christus post baptismum celebra-

bravit. Etenim die VI. Januarii baptizatus
 est, ut Ecclesia tenet. A baptismo usque
 ad miraculum, quo vinum de aqua fecit in
 nuptiis, annus interfluxit; & illius anni
 Pascha; cujus neque Johannes, neque ali-
 quis Evangelista meminerunt. Hinc, si
quatuor Paschata, a Johanne memorata, ad-
 jungas, *quinque* efficiuntur Paschata, & ita
 anni a baptismo ad crucem quatuor integri &
 tres menses.

Doctissimi Annotatores Belgæ in eadem fe-
 re sunt sententia, circa festum, hoc loco in-
 digitatum; eamque firmant argumento
 (quod etiam reperio apud Venerabilem *Bezam*
 & *Ligfootum*) ex Joh. c. IV. vs. 35. Ubi Chri-
 stus agebat: *Nonne vos dicitis adhuc tetradu-
 rov èsi, quadrimestre spatium est, & messis venit?*
 unde patet, tunc temporis messem post IV.
 menses expectatam fuisse. Quoniam vero
messis incipiebat cum festo *Paschatis*, Lev. 23:
 10. sequitur, festum hoc loco indigitatum i-
 psam fuisse Paschatis solennitatem.

Apud *Cornelium a Lapide* non tantum hæc
 ipsa reperio argumenta, verum adhuc duo
 alia. Nimirum

Tertio, quia Christus post baptismum tres
 annos cum dimidio prædicavit. Hinc oportet
quatuor Paschata inveniri in Evangeliiis.
 Verum, si hoc festum non fuit *Pascha*, tum tria
 tantum ex Johanne Paschata nos colligere
 posse.

Quarto, quia Christus non potuit tam multa agere a Paschate usque ad Pentecosten; omnia scilicet quæ narravit Johannes a C. 3. hucusque, & Matth. a C. 4. usque ad 12.

§. II. Non desunt tamen interpretes celeberrimi, quibus hæc argumenta non ita solida visa sunt. Ad Primum enim quod adtinet, recte observavit Cl. Coccejus: „Solere „Evangelistam *Paschatis festum ab aliis festis distinguere.* Si *Pascha* fuisset, non dixisset ἑορτή τῶν Ἰουδαίων, quod valet *festum ALIQUOD Judæorum.* Video quidem illustrem Grotium notasse: „Nec movere nos debet, quod „hic *articulus* non est additus nomini ἑορτῆς, „nam plane eodem modo ἑορτῆς sine articulo „*Pascha* significans, reperitur. Marc. XV. 6. Luc. XXIII. 17. Verum quis non videt hujus responsionis debilitatem? Etenim I. in locis *Marci* XV. 6. & *Lucæ*, jam memoratis, ex historię connexionem jam constabat, *Paschatis festum* tum fuisse. II. Præterquam quod adhuc sub *Judice* lis est, an phrasıs καὶ ἑορτῆς, referenda sit ad solum *Paschatis festum*, an vera significet, *singulis festis.* Conf. *Actor.* II. 46. ubi καὶ ἡμέραν. it. *Tit.* I. 5. ubi κατὰ πόλιν, id est *per singulos dies & in singulis civitatibus.* Et sic etiam loca illa *Marci* & *Lucæ* explicuit Cl. *Beza* post *Syrum* Interpretem. Et quod attinet ad cætera loca, a *Montacutio* allegata, ubi *Pascha* absolute ἡ ἑορτῆς, *festum*, diceretur, in iis sese res aliter habet, quam hic loci. Etenim

illic jam ante de *Paschatis festo* erat facta mentio, inde per se clarum est, per τὴν ἐοχλήν indicari illud festum, de quo Historia proxime mentionem fecerat. Verum nostro in loco initium est novæ historiæ: Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτή 18 δαίων, *Posthac erat festum aliquod Judæorum.* Profecto non ita ex more suo locutus fuisset Evangelista, si quidem *Paschatis festum* designare in animo habuisset.

Alterum argumentum ex Joh. IV. 35. non stringere etiam, recte observavit Πάππ Coccejus: „Nam quod dicitur, inquit, C. IV. 35. „*Adhuc quadrimestre est & messis venit,* non puto „eum valorem habere, ut ex eo demonstretur „ante *Pascha* id gestum fuisse.

Verum id quod Celeberrimus Interpres tantum digito intendit, fusius elaboravit & probare annisus est Vir doctissimus *Bernhardus Lamy, Oratorii D. J. Presbyter,* in apparatu chronologico ad *Harm. Evangel. parte II. cap. VI. §. 11.* ubi prolixè disputat: *Diem festum Judæorum, in quo Jesus languidum sanavit, haberi non posse pro Paschate.*

Primo refutat argumentum *Cornelii a Lapide,* quod tertio loco ego memoravi, quod si hic intelligatur *Paschatis festum,* non posse assignari quatuor *Paschata,* quibus prædicavit Christus. Respondet enim, hic argumentum peti ab eo, quod est in questione. Etenim alios plura, alios pauciora *Paschata* numerare. Quosdam quinque recensere a baptismo ad crucem

cem; (uti modo ex *Montacutio* audivimus) quæ etiam est opinio *Scaligeri* & *Calvisii*, sed quæ falso nititur fundamento; neque enim verisimile est, Johannem, antequam innotuisset & consecutus esset auctoritatem, quendam baptizasse. Alii tria agnoscunt *Paschata*, præter quartum, quo Christus est occisus. Ita *Usserus*, *Lancellottius* & plerique alii. Verum hi omnes ea nituntur hypothese, quod hic dies festus, de quo in loco nostro, interpretandus sit *Pascha*. Verum ad se quod attinet, ipse existimat, cum *Petavio* & aliis viris doctis, non ultra duo *paschata* Christum baptizatum celebrasse, & in tertio mactatum fuisse. Quam sententiam veterum admodum esse, probat ex *Epiphanio*, *Prospero*, *Origene* & *Cyrillo*. Cl. *Coccejus* aliquid subindicare videtur in h. l. „Johannes, inquit, mentionem facit „*Paschatis*, quo Jesus ejecit ementes & vendentes ex Templo. c. II. 23. tum festi alicujus, „hoc loco. Rursus *Paschatis* c. VI. 4. & οὐνο- „νοπέγίας c. VII. 2. & ἑξακαισίων c. X. 22. Denique *Paschatis*, in quo mortem obiit c. XI. 5. „An hæc nobis possint certum facere, Christum tribus *Paschatis* (tantum) populo manifestatum fuisse, alii judicent. Quod jamjam vidimus omnino judicasse Cl. *Lazium*.

Qui ad secundum argumentum, modo propositum ex Joh. IV. 35. Nonne vos dicitis: adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? unde ar-

gumentantur: „Hæc dixit Dominus quatuor
 menses ante tempus messis, & ideo an-
 te Pascha, in quo messis hordeacea fiebat,
 ergo quem postea nominat Johannes *festum*
diem, non alius censerî potest quam *Pascha*;

Respondet I. Quod tum tempus *hiemis* fu-
 isset, si hæc dixisset Dominus, quatuor men-
 ses ante tempus messis, (nempe in mense De-
 cembri) & quomodo ergo dixisset, *messis venit*,
ēg. xēlā? neque enim dum adhuc *hiems* est, *mes-*
sis potest dici *proxima*.

Non dissimulo tamen hanc responsionem
 mihi non videri admodum solidam. Etenim
 non dicit Jesus tunc temporis *messē* fuisse *pro-*
ximam, sed post τρεῖς μῆνας, post quadrimestre
 spatium venturam sive adfuturam. Adeo ut
 verba sic transferenda veniant: *Nonne vos dici-*
tis, adhuc quadrimestre spatium est, QUOD mes-
sis aderit? Quam significationem vocula *ἔτι*
 persæpe obtinet. Vide saltem loca XIV. ubi
 ab ipsis Interpretibus Belgis ita versa est apud
Trom. Concord. N. T. p. 134. Quine contrario
 Jesus videtur indigitare, per adhuc satis lon-
 gum temporis spatium, messē abesse. Ve-
 rum licet messis *corporalis* & *proprie dicta* tam
 longe adhuc abesset, subjungit Jesus: *Ego ve-*
ro dico; auollite oculos vestros & spectate regiones
 (Samariticas nempe) *nam alba jam sunt (& ma-*
turæ) ad messē spiritualem,

Sed *secunda* ipsius responsio paulo magis
 stringit: „Nimirum non fuisse tempus *hyemis*,

colligi potest ex *estu*, quo tunc videtur fati-
 gatus Jesus, quando verba ista c. IV. 35. pro-
 tulit. Vide c. IV. 6. Quamquam ad istam
 responsionem quoque posset excipi, non di-
 cere Evangelistam, Jesum *fatigatum* fuisse ex
estu, sed ex itinere, ἐκ τῆς ἰδοποροῦσας. Etenim
 non raro, etiam brumali tempore, dies sunt
 admodum sereni, præcipue in Palæstina, ubi
 non ita rigida erant hyemes, quam in hisce
 nostris regionibus, magis ad septentrionem
 sitis.

Tertio observat phrasin in fonte Græco ὅτι
 ἐστὶν τετραμήνων ἐστὶ, minus bene redditam esse:
 adhuc quatuor menses sunt. Nam τετραμήνων
 notat definitam anni tempestatem, nempe
 spatium quatuor mensium, quod non aliud
 videtur, quam quatuor illi menses, per quos
 messis colligebatur: Etenim in mense *Nisan*,
 post oblatum manipulum, decimo sexto die
 inchoabatur messis hordeacea; deinde trans-
 acto secundo mense (*Iar*) sexto die mensis
Sivan, agebatur *Pentecoste*, quæ dicebatur
 festum messis, nimirum *triticeæ*, quæ durare
 poterat usque in mensem *Tamuz*; Sicque con-
 stabat tempus messis quatuor mensibus, qui
 constituebant illud τετραμήνων, de quo qua-
 stio est. Jam vero: Proverbialis erat ista lo-
 cutio; quod indicat modus ille loquendi,
 nonne vos dicitis? Proverbium autem illud
 quadrabat in eos, qui de re non maturanda
 solebant dicere, adhuc τετραμήνων ἐστὶ, id est,

1, tempus colligendæ messis non abiit : tempus erit
 2, perficiendæ rei. Verum reponebat Jesus
 3, suis discipulis, qui cogitassent, & tunc tan-
 4, ta acceleratione opus non esse (ad opus mes-
 5, sis spiritualis) : quemadmodum ubi messes
 6, albæ sunt, cito illas demetere oportet : pa-
 7, riter sine dilatione vacate colligendæ messi,
 8, nempe animarum, quam paratam esse indi-
 9, cabant Samaritani, tanto studio Jesum ex-
 10, cipientes. Quæ certe observatio est nequa-
 quam contemnenda. Quæque admissâ ex
 hoc loco Joh. IV. 35. nihil determinari posset,
 quod ad tempus messis vel propinquæ vel ad-
 huc longe absentis.

Verum pergit Vir Doctissimus, & aliunde
 probat: „Colloquium Domini cum Samaritana,
 „in quo hæc dicit Jesus: Nonne vos dicitis *ἐκ τῆς
 „καπυλων ἐστὶ* &c. (a) non multo tempore sub-
 „secutum fuisse post primum Pascha, (de quo Joh.
 „II. 13. habitum enim est, cum ex Judæa, ubi
 „paschati interfuerat, reverteretur Dominus in
 „Galilæam. Quo cum pervenit, ut dicit
 Jo-

(a) Ad hoc argumentum respondet vel excipit Vir qui-
 dam Doctissimus: Quasi *ἐορτῆ* Job. V. non posset IV.
 mensibus a colloquio Job. IV. abesse. Quia Galilæi di-
 cuntur vidisse omnia quæ fecerat *ἐν τῇ ἐορτῇ* scil. Pa-
 schæ. Job. II. Ergo tantum quod redierunt a Feste
 ubi ea viderant.

At omittitur longa illa *διὰ τὸ ὄσον* in Judæa. Job. III.
 Lætantur ergo Galilæi simul ut reducem vident. At
 quid hoc ad rem?

„Johannes c. IV. 45. exceperunt eum Galilæi,
 „cum omnia vidissent, quæ fecerat Hierosoly-
 „mis in festo; nam & ipsi venerant ad festum.
 „Ubi intelligit Evangelista festum, de quo
 „supra locutus fuerat; adeoque non aliud,
 „quam *primum Pascha*, in quo tantam potesta-
 „tem exercuerat. Joh. II. 13. 23. Festum,
 „inquam, non multo ante tempore celebra-
 „tum. Itaque colloquium cum Samaritana,
 „quod præcedit c. V. ubi Johannes nominat
 „*diem festum*, de quo quærimus; colloquium
 „inquam istud non potest supponi *byeme ha-*
 „bitum.

Sed majus adhuc pondus addit (ipsius qui-
 dem iudicio) quod sequitur. Nimirum, quod
 Capite VI. 4. dicatur: *Erat autem proximum*
Pascha, dies festus Judæorum. „Jam vero, si
 „festus dies, quem commemoravit c. V. 1.
 „fuerit *Pascha*, sequeretur, ab *uno Paschate*
 „transire Johannem ad *aliud*, quasi omnino
 „ab omni opere Christi vacuus fuisset integer
 „annus; quod revera non est verosimile. Ve-
 „rum quidem est, quæ longo etiam inter-
 „vallo *disjuncta* sunt tempora, *conjungi* inter-
 „dum ab Evangelistis. Verum tantam tem-
 „poris intercapedinem vacuum inter sanatum
 „languidum & multiplicatos quinque panes
 „cogitare non liceat, nisi suppetant ex aliis E-
 „vangelistis huicce intercapedini necessario
 „inferenda. Quæ assignari non possunt. (b)

Con-

(b) Hoc tamen argumentum Viri Doctissimo infirmum

Concludit ergo, neque res, neque verba Evangelistæ suadere posse dictum diem Festum inter Paschata numerandum. Festus quidem erat dies, sed non unicus dies Paschatis erat apud Judæos festus. Adeoque dispiciendum nobis est, quisnam & qualis inter festos dies fuerit, quem recenset Evangelista.

§. III. Pentecosten ergo conjiciunt alii. Inter quos antiquissimus est Chrysostomus, sed sine ullis argumentis. Ejus vestigia prescit Calvinus. „Quamquam, inquit, non exprimit Evangelista, quisnam hic dies fuerit, probabilis tamen est conjectura, Pentecosten notari: Si tamen, quod hic notatur, statim ex quo in Galilæam venerat Christus, factum est. Nam mox a Paschate Hierosolymam (c) profectus, per Samariam transiens, quadrimestre tempus ad messem numerabat. Galilæam ingressus sanavit Aulici filium. Subjicit Evangelista diem hunc festum secutum esse. Ergo temporis ratio huc nos ducit, ut Pentecoste intelligi debeat. Sed

videtur. Quid enim (inquit) absurdi, si Johannes ab uno Paschate cap. V. ad aliud cap. VI. transeat, qui supplementa necessaria tantum suppeditat Historiæ Evangelicæ? Et si Joh. V. non sit Pascha, tamen omittere censendus est Pascha illud maturæ segetis. Luc. VI.

(c) Hierosolymam. Vir Doctissimus, cui hanc Dissertationem scriptam exhibui, censebat hic legendum esse Hierosolymis vel Hierosolymâ.

Sed addit tamen: *Quaquam de ea re non con-
tendo.* Et revera nulla est vis in ratiocinio Vi-
ri cateroquin summi. Nam quomodo Chri-
stus a Paschate, id est post Paschatis festum,
usque ad messem adhuc quadrimestre tempus
numerabat, quum mox a Paschatis festo mes-
sis incipiebat, & post Pentecostes festum ma-
ximam partem erat absoluta? Quod si vero il-
lud *ἐν τρεῖς μῆνας ἐστὶν ἡμερῶν ἀπὸ τῆς ἐπέτης*, in-
telligendum putamus eo sensu, quem urget
Lamius, tum adhuc minus roboris in hoc
Calvini argumento situm est.

S. IV. Cl. Coccejus, repudians id, quod
de Paschate urgent quamplurimi interpretes,
censet vel Pentecosten vel Scenopegiarum festum fu-
isse, quia Evangelista dicit: *ἐορτὴ τῶν Ἰουδαίων*,
quod valet festum ALIQUOD Judaeorum.
Verum non cogitavit Vir illustris, praeter tria
illa majora & a Deo instituta festa, etiam quæ-
dam fuisse *minora* Judaeorum festa, uti festum
Purim atque *Enceniorum*. Atque horum ali-
quod fuisse existimat Lamius, quod, utpote
obscurius, non nominaverit Evangelista. Putat
ergo fuisse festum *Purim* sive *fortium* minus,
quod agebatur die XV. mensis *Adar*, quæ di-
es anno *æra* Christi 32. *Sabbatum* fuit. Quem-
admodum festum *fortium majus* incidebat in
diem præcedentem XIV. mensis ejusdem. De
cujus festi occasione & institutione videri pot-
est liber *Estheræ* c. IX. 20. 21. Argumenta
autem, quibus nititur, hæc sunt.

I. Quia festum hoc, quo Christus paralyticum sanavit, incidit in *Sabbatum*. Joh. V. 9. Jam vero a Paschate *primo ad secundum*, toto illo tempore nullum aliud in *Sabbatum* incidebat, quam *festum sortium minus*; quod nominare non satagebat Johannes, quia *minus solenne* & illud explicare Christianis non intererat.

II. Quia in sermone, quem habuit Dominus ipsa die, qua sanavit languidum, locutus est de *Johanne præcurfore suo*, ut de Viro (d) jam mortuo: *ille erat lucerna ardens & lucens*. Joh. V. 35. Atqui Johannem circa illud tempus, nempe paulo ante diem XV. mensis Adar occisum esse, idoneo argumento se comprobare

(d) Excipit Vir Doctissimus: *Quasi Joh. V. supponatur Baptista jam mortuus. Sufficiunt vincula. Comparanda hæc cum Luc. VII*

Et opponit sententiæ Doctissimi Lamy: I. *Quomodo D. Lamy potest festum Joh. V. habere pro Festo Purim, qui antea constituit colloquium Joh. IV. non nimis removendum a Paschate Joh. II.*

II. *Si festum Joh. V. non sit Pascha, Festum quod in alium annum incidit, ab eo anno, quod a Paschate Joh. II. incipit, distinctum; sed si fuerit festum Purim, ut vult D. Lamy ejusdem anni, tum sequitur alterutrum*

I. *Aut quod ex Johanne tria tantum Paschata adeoque duo anni tantum Ministerii publici erui possint.*

II. *Aut si tres annos Dominus exegerit, tum Johannes integrum annum amisit. Quod argumentum D. Lamy plane evertit.*

bare posse existimat. Et me quidem quod at-
tinet, album calculum huic opinioni adjicere
non vereor, quamdiu probabilius aliquid a
nemine productum est.

§. V. A circumstantia temporis pergimus
ad circumstantiam loci. Qui quidem remote
spectatus erat ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, in ipsa civi-
tate Hierosolymitana. Verum propius designa-
tur ἐπὶ τῆ προβατικῆ κολυμβήθρα. Quæ verba
ab omnibus Interpretibus eodem modo non
leguntur & intelliguntur.

Quidam omnia legunt in Dativo, & subin-
telligendum putant vocem δίκαιον ἢ τόπος.
h. m. ἐστὶ δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῆ προβα-
τικῆ κολυμβήθρα, ἢ λεγομένη ἐβραϊστὶ βηθεσδα.
Est autem Hierosolymis apud piscinam probaticam,
Hebraice dictam Bethesda (domus vel ædificium
quoddam) quinque porticus habens.

Alii voculas ἐπὶ τῆ omittentes in Nomina-
tivo legunt: ἐστὶ δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις προβα-
τικῆ κολυμβήθρα. Est autem Hierosolymis probati-
ca piscina. Sic legit interpretes Arabs, uti vi-
dere est apud Lud. de Dieu. Nec non Chrysosto-
mus, Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus & ex
Veteribus alii. Huc pertinet illud Hierony-
mi de locis Hebraicis: „Bethesda piscina in
„Hierusalem, quæ vocabatur προβατικῆ, & a
„nobis interpretari potest pecualis. Et Euse-
bii: Βηθεσδα, κολυμβήθρα ἐν Ἱερουσαλήμ, ἣν
ἐστὶν ἡ προβατικῆ. Bezatha, piscina in Hierusalem,
quæ est pecualis. Hanc lectionem etiam probat

Richardus Montacutius, qui & locum Brocardi citat: „Ab area templi contra Aquilonem est „porta ducens in Vallem Josaphat: Et hæc etiam vocatur GREGIS: quod per eam introducebantur „GREGES in Templo immolandi. Intransibus por- „ro portam gregis ad sinistram occurrit PISCINA „PROBATICA, in qua Nethinei lavabant hosti- „as, quas tradebant Sacerdotibus in Templo offe- „rendas.

Verum vulgatissima lectio, quam & Venerabilis Beza secutus est, retinet voculas $\beta\eta\eta$ $\eta\eta$ easque construit cum $\pi\epsilon\sigma\beta\epsilon\lambda\eta\eta$ in Dativo, vocabulum autem $\kappa\alpha\lambda\upsilon\beta\acute{\iota}\tau\epsilon\gamma$ in Nominativo, Est autem Hierosolymis ad pecuarium piscina, quæ nominatur Hebraice Bethesda. Quæ oratio manifesto elliptica est, adeoque sub voce $\pi\epsilon\sigma\beta\epsilon\lambda\eta\eta$ aliquid debet subintelligi. Cl. Beza subintelligi putat vocem $\alpha\gamma\omicron\gamma\alpha$; Vertit enim ad forum pecuarium; sic saltem reperio in N. T. Beza ap. Henr. Stephanum A. 1565. in Octavo. Alii vocem $\delta\iota\kappa\omega$, id est, locum, ubi pecudes asservabantur ad Sacrificia. Verum hanc suppletionem genus masculinum vocis $\delta\iota\kappa\omega\varsigma$ non permittit. Alii vocem $\chi\acute{\omega}\epsilon\gamma$, id est, ad regionem illam civitatis, quæ ab pecudibus denominabatur. Verum apud Bezam in Annotationibus in folio, Cantabrigiæ editis, reperio, quod ita suppleverit, uti nostri Interpretes Belgæ; subaudita voce $\pi\acute{\omicron}\lambda\eta$; ad portam pecuariam. Etenim inter portas urbis Hierosolymæ constat fuisse יהושפט תבואה portam pecuariam;

riam; quod LXX. Interpretes etiam transfe-
runt *πύλη βορραϊκή*. Neh. III. I. 12. XII. 11.
26. Porta hæc ab Orientali parte civitatis ver-
sus Boream erat, spectans montem Olivarum;
neque multum distabat ab ipso Templo. A-
deo ut piscina hæc fere immediate continge-
ret *angulum Templi*, qui terminabat latus *Bo-
reale*.

Video quidem *Henr. Hammondum* repudiare
hanc lectionem, verum nullo suffultum fun-
damento, quam quod ex ipsius hypothesi de-
sumptum est, quam falsam esse in sequenti-
bus evincere satagam.

An hæc piscina sive vivarium seu lavacrum
proprias habuerit *scaturigines*, an vero per ca-
nales subterraneos ex aliis fontibus aquæ in
illud derivatæ fuerint; an vero aquæ pluvia-
les in illud colligerentur, discrepant Inter-
pretes. Nobis non vacat anxie in hanc rem
inquirere.

§. VI. *Usum* hujus lavacri quod adinet,
vulgaris est opinio, per portam probaticam
adductas fuisse oves ad sacrificia, atque eas in
hac piscina solitas abluï, priusquam adduce-
rentur in templum. Verum Doctissimus
Ligtfootes contra hanc sententiam scrupulos
quosdam movit. „I. Quod probatu difficile
„sit, hostias, vel hic, vel alicubi *lotas* fuisse
„omnino. De re tali silent *paginæ sacræ* &
„de ea, quod adhuc comperi, non loquun-
„tur *Traditionales*. Lota quidem fuisse in-
V. Fascic. R r testi-

„testina post maetationem, nemo dubitat, &
 „destinatum huic operi fuit לשכת המדיחין
 „Conclave lavantium in ipso Templo: Aft an lo-
 „ta corpora, vellera, tergora ante maetationem
 „quæritur merito. II. Inter labeſ & vitioſi-
 „tates, quibus beſtiæ reddebantur non idoneæ
 „immolationi, vix hanc numeratam comperies:
 „Quod non fuerint lotæ.

Conjicit ergo, & forſan non infeliciter,
 Vir Doctiſſ. homines potius in Bethesda lavari
 ſolitos, non beſtias. Immundos ſcilicet, ut
 per ablutionem purificarentur. Nam qui-
 cunque perpenderit numerum immundo-
 rum, qui indies opus habuerunt ablutione,
 quique perlegerit Tractatus Talmudicos de
 purificationibus, & de congregationibus a-
 quarum, iſti rei convenientibus, facile ſibi
 perſuadebit Bethesdam, reliquasque, quæ fu-
 erunt Hieroſolymis, natatorias, huic uſui in-
 ſerviſſe, potius quam ablutioni pecudum.

Crediderim etiam, inquit, Syrum Inter-
 pretem, cum reddit: (Erat autem Hieroſolymis
 locus quidem baptiſterii vel baptizatiſ) in ani-
 mo habuiſſe baptiſmos immundorum homi-
 num, potius quam ablutiones beſtiarum.

Allegat item duo loca, ex quibus pateat
 plures tales natatorias, abluendis immundis
 deſtinatas, fuiſſe Hieroſolymis. Alterum ex
 Targ. 1. Chron. XI. 22. Ubi de Benajah, filio
 Jojadæ, ſub Templo ſecundo; qui die quodam
 pede impegerit in teſtudinem mortuam, (velut ha-
 bet

bet versio Matthiæ Friderici Beckii, in *buso-*
nem mortuum) statimque descenderit in Siloam,
 & se laverit. Alter est ex *Midrasch Cobeletb.* fol.
 95: 3. Ubi de Simone Sicuensi, qui multos fo-
 dit puteos, cisternas & caveas in Jerusalem. Di-
 xit autem ei R. Jochanan ben Zaccas: Si ad te ac-
 cedat mulier, interrogans de menstruositate sua, tu
 dices illi: Tinge te in hoc puteo, nam aqua ejus pu-
 rificabit. Certe in Evangelio Johannis legi-
 tur Christus dixisse cæco, cujus oculis lutum
 spuito imprægnatum illiverat: Vade, lava te
 in piscina Siloam. Atque ille abiit & lavit se, redi-
 itque videns. Cap. IX. 7. In Historia quoque
 Regum mentio est *piscina superioris*, quæ erat
 in monte Sion, distinctæ a *piscina inferiore*, quæ
 erat in monte Acra, seu Civitate inferiore. Et
 aliæ adhuc præsentantur in Mappis Choro-
 graphicis Hierosolymæ. Videri potest inter
 alias, quam exhibet Lamius, in *apparatu Geogra-*
phico c. XIII.

Henricus Hammondus, in annotationibus ad
 N. T. censet, neque pecudes, neque homines
 vivos in hac natatoria fuisse ablutos, sed visce-
 ra tantum & ossa maceratarum pecudum, & qui-
 dem a Ministris Templi. Verum ipsius opi-
 nionem valde paradoxam, ne dicam ridicu-
 lam, postea ad examen revocabimus

§, VII. Nomen hujus lavacri *Hebraice*,
 id est, Syro-Chaldaice, quo idiomate tunc
Hebræi utebantur, erat *Βηθεσδα*. Vulgata ha-
 bet *Bethsaida*. Quod sine dubio vitio librari-

orum accidit, qui decepti esse potuerint per vicinitatem literarum & soni vocum *Bethzaida*; & *Bethesda*. Cui accedit, quod vox *βηθשא* temere translata esset per vocem *piscina*, quæ proprie receptaculum *piscium* denotat. Jam vero, quoniam *Bethzaida* denotat *domum* sive locum *piscationis*, facile eo delapsi sunt, ut pro *Bethesda* scripserint *Bethzaida*.

Verum non tanta est autoritas vulgatæ editionis, ut ullatenus dubitare possimus, quin vera & genuina lectio sit *βηθשא*, *Bethesda*. Quæ vox composita est ex duabus, nempe ex voce *בית*, quæ *domum* vel *locum* quemcunque significat. Alteram autem quidam conjiciunt esse *צד*, *Eedz*, *capra*, quasi dicas *domum caprarum*, id est, *gregum*. Alii putant esse *domum* seu *locum* *effusionis*. Cujus denominationis varias dant rationes.

1. Vel, quia lavacrum hoc non habebat proprias *scaturigines*, sed aquæ illius aliunde *derivabantur* per canales *subterraneos*, sicque se *effundebant* in hanc *nâtoriam*. Quorsum adhibent, quod narratur de *Hiskia Rege*, quod fecerit *piscinam* & *aquæ ductum*, quo *induxit aquam in civitatem*. 2. Reg. XX. 20. Quam *piscinam eandem* hanc fuisse conjicit *Ven. Beza*.

2. Alii ab *effusione Sanguinis victimarum*. Verum recte scribit *L. de Dieu*, non abs re id rejicere *Cl. Beza*, quod non *ibi*, sed *apud altare* *maçtarentur* *victimæ*. „Sed addo, (pergit) non

non male tamen dici *domum effusionis*, quod
 „ibi funderetur aqua in oves, ad eas a sordibus
 „abluendas, quo ad victimam aptarentur.
 Verum hoc nititur hypothefi, quam nos mo-
 do vidimus admodum *incertam*, si non plane
falsam, esse.

Vulgatissima est opinio, lavacrum hoc, cum
 ædificio illi annexo, vel ei proximo, vel id
 ambiente, dictum fuisse *Bethesda*, id est,
 בית הכסדה, *locum*, seu *domum misericordie*.
 Sive, quia *commune* quasi *nosocomium* erat, ubi
 multi jacebant ægri & afflicti; Inter quos eti-
 am tenuioris fortunæ, qui *objectum* erant (si
 liceat ita loqui) *misericordie* opulentiorum &
 beneficorum *hominum*; sive potius, quia *mi-*
sericordia Divina insignem in modum isthic se
 exerebat, in sanatione ægrorum per extraor-
 dinariam commotionem aquæ, quæ certis
 temporibus contingebat, uti postea videbi-
 mus.

Aliam adhuc conjecturam de nomine hoc in
 medium produxit sæpius jam laudatus *Lami-*
us. Nimirum vocem *βηθεσδα* eandem esse
 cum *βηθשא*, quo nomine Josephus appellat
 eam regionem, ubi erat *forum pecuarium*, &
 ubi, omnium consensu, sita fuit illa *piscina*.
 Constat enim civitatem Hierusalem quatuor
 montibus superinædificatam fuisse, *Sion*, *Mo-*
ria, *Agra* & *Bezetha*. Verum quoniam am-
 plissima ea erat regio, quæ *Bezetha* sive *Nea-*
polis dicebatur, haud fit verosimile, *piscinam*

banc nomine totius illius regionis insignitam fuisse. Et quidem eo minus, quia ipse Lami- us in chorographia Hierosolymæ aliam adhuc piscinam in eadem civitatis regione repræsen- tat. Maneat ergo, quod Bethesda sit domus mi- sericordie.

§. VIII. De hac autem *natatoria* sive *domo* illi annexa, porro asseverat Evangelista, quod fuerit *πέντε σάων ἔχουσα*, *quinque habens porticus.* Nostri: *Vyf Zalen*; & in notis ad- dunt: „Gr. *Galeryen, Panden, dat is, kame- ren, daar de Zieken in waren.* (e) Quo- mo-

(e) In gratiam juniorum de voce *σαῶν*, nonnulla notare lubet. Author Etymologici Magni vocem *σαῶν* derivat ἀπὸ τῆς *σαῶν*. Quam tamen vocem apud Lexicographos, quos inspexi, non reperio. *σαῶν δὲ* (inquit) *αἰ κάμαρα*. *Κάμαρα* autem a Roberto Constantino describitur *fornix, camera.* *Καμάρα* etiam dicitur *lecticæ pars fornicata*: Polluce teste. Et apud alium Lexicographum reperio: „*Καμάρα, camera, fornix, testudo.* Bud. in Hist. Eccles. *λα- queatum regis tectum* ita vocari scribit, item *vehiculæ contesti genus.* Unde sine dubio Belgicum nostrum *kamer.* Rectissime Martinius in Lexico Philologico ad vocem *Stoa*: *σαῶν, porticus.* Pollux ait τὸν *περὶ εἰσυλον τόπον*, *locum undique columnis septum,* vocari *ἐκκλισίον*, ab Atticis *ἐκκλισίον*: *σαῶν* autem esse partem ejus, nempe *latus*, sed est pro tota porticu. Ducam a *σάω*, quod ibi *starent*, id est morarentur sub umbra & tecto. Nam ædificabantur adversus tempestates & Solis fervorem, ambulationis aut sel-

modo autem *quinque* hæ porticus, vel conelavia *juxta* vel *circum* hoc lavacrum *concupi* debeant, non adeo est liquidum, Cl. Ligfootus, cujus sententiam supra adoptavi, quod hoc

Rr 4 la-

tionis gratia. Integebatur autem lignis inter se conjunctis. Vitruv. l. 5: 9. Post scenam porticus sunt constituendæ, uti, cum repentini imbres ludos interpellaverint, habeat populus, quo se recipiat in Theatro. Ad quæ verba Philander: Porticus additæ sunt sacris ædibus, illustrium virorum domibus, & publicis ædificiis, necessitatis aut ornamenti, animique causa. Sub eis repentinas pluvias vitabant umbrasque, ac frigora captabant variisque sermonibus diem consumebant: a meridie solem hyeme, a septentrione æstivas umbras excipientes; a columnarum ordine dicebantur *distichæ*, *tristichæ*, *tetrastichæ*, id est, *duplices*, *triplices*, *quadruplices*.

Notum est, ὡς τὸ σοῶς, a porticu, STOICOS Philosophos appellationem sortitos fuisse. Stoicæ enim sectæ princeps fuit Zeno Citticosis. Ejus discipuli cum primo Zenonii dicerentur, post ὡς τὸ ποικίλῃς σοῶς, a varia porticu, Στωικοί sunt appellati. Ut ex Epicuri Epistolis probat Diogenes Laërtius in Zenone Lib. VII. ποικίλῃς σοῶς autem i. e. porticus illa varia fuit Athenis, atque ita vocatur, ob varias picturas Polygnoti, quibus porticus illa ornata erat, de quibus videndus Pausanias Lib. X. „In illam porticum, quæ & *Pisiana* appellabatur, Zeno se conferebat, postquam naufragium aliquod passus erat) „ibique sermones formabat, volens locum illum frequentem facere, nullisque seditioibus ultra violabilem. Namque triginta tyrannis Remp. tenentibus, ad mille quadringentos cives ibi fuerant necati. Eo igitur ad illum audiendum discipuli jam confluebant,

lavacrum fuerit *hominum*, non *bestiarum*, ita rem concipit: „Quinque hæ porticus videntur fuisse quinque introitus, per quos descensum est ab immundis ad aquas, ut abluerentur, & in quibus ante ablutioem vestes deponerent & post resumerent, & semper protecti essent a pluviis. Et forsan in tot introitus & descensus distributi sunt immundi, pro diversitate immunditiarum, ut eadem immunditiâ polluti, in eandem porticum convenirent. Hunc fuisse primum harum porticum finem & usum nullus dubito, quamvis postea superadderetur usus alius.

Alii putant natatoriam hanc habuisse quinque angulos & quinque latera: & juxta quæque singula latera singulas fuisse porticus. Alii piscinam fuisse quadrangularem, & juxta illam ædificium quoque quadrangulare, quod quintuplicem habebat porticum, singulas columnarum serie distinctas. Porticus enim, uti vidimus, *duplicate*, *triplicate*, *quadruplicate*, *quintuplicate* dicebantur, pro numero ambulacrorum, quæ distinguebantur per columnas. Hinc apposite ad rem scribit Mat-

„atque ideo *Stoici* vocati sunt etiam, qui ab ipso antea *Zenonii* appellabantur. Sicut & *Epicurus* in *Epistolis* ait. Siquidem ante illum *Stoici*, qui in illa morabantur *Poete* dicti erant, ut ait *Eratosthenes*. Sunt verba ipsius *Laërtii* in *Zenone* pag. 360, Editionis *Wetstenianæ*. Verum hæc *ὡς ἐν παρῳδῳ*.

Matthias Martinius lib. cit. ad vocem *Pentastichus*. Porticus *Pentasticha*, quæ habet quinque ordines columnarum; ut *Tetrasticha*, quatuor. Trebellius Pollio in fine Gallieni: *Porticum Flaminiam* & ipse paraverat ducere, ut **TETRASTICHA** fieret, ut autem alii dicunt **PENTASTICHA**, ita ut primus ordo pilas haberet & ante se columnas cum statuis &c. Ita fere in tabula sua repræsentat Lamius.

§. IX. In his, pergit Evangelista, (sc. porticibus aut conclavibus) jacebat multitudo magna egrotorum, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aque motionem. Angelus enim κατὰ καιρὸν, certo tempore, descendebat in piscinam & turbabat aquam: itaque qui primus descendisset post aque turbationem, sanus fiebat, a quocunque detineretur morbo. Hæc generalis est historia usus & virtutis extraordinariæ, quam isto tempore habuit hoc lavacrum. Circa quam nobis indagandum est, an virtus & efficacia fuerit naturalis an supernaturalis?

Verum antequam eo deveniamus, prius vindicanda est vera lectio & integritas Textus Græci. Non desunt enim, qui integrum versiculum quartum de *Angeli descensu & motione aquæ*, nec non de sanatione illius, qui primus ingrederetur, a quocunque detineretur morbo, putant esse ἐμβολιμῶν & tanquam glossema in Textum irrepsisse. Hammondus refert, Codicem Græco-Latinum, quem Theodor.

Bezà legavit Academia Cantabrigiensi *omittente* versum, in quo sit mentio *Angeli*. Sed ipse tamen ex serie contextus eum genuinum esse comprobat. Etiam si ille versus hypothesei Hammondi, quam postea examinabo, maxime obstet. *Bernardus Lamy* (in *Appendice ad Commentarium in Harmoniam Evangelicam p. m. 656.*) mentionem facit Codicis alicujus Manuscripti Antiquissimi in Bibliotheca Regis Galliarum, in quo Vir Doctissimus *Johannes Boivin*, Bibliothecarius Regius, deprehendit latentem, sub recentiore Scriptura opusculorum S. Ephremi, veterem Scripturam Evangelii Johannis. Solebant enim librarii (verba sunt *Johannis Boivin ad Bernardum Lamy*) quibus deerant membranæ ad aliquid describendum, antiqua exemplaria dissuere, & Scripturæ veteri suam superillinare. Ejusmodi libros non paucos in Bibliotheca Regia observare est, ac in iis volumen majoris moduli Græcum, cujus numerus est 1905.

„Constat is codex foliis membranaceis novem & ducentis, quorum singulæ pagina scripturam duplicem exhibent, alteram novam & lectu facilem, alteram vetustate decolorem & deinde vix legibilem.

„Recentiore atramento scripta sunt opuscula St. Ephremi: Vetere autem, nempe uncialibus literis & absque accentibus (quæ est optima nota Antiquitatis) maxima pars
Novi

Novi Testamenti cum fragmentis aliquot
Biblicis.

Itaque eas membranas avulsas esse appa-
ret ab exemplari vetustissimo, quo contine-
bantur quatuor Evangelia, Actus Apосто-
lorum, Epistolæ Pauli, Epistolæ septem
Canonicæ, Apocalypsis; Jobus, Proverbia,
Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapien-
tia & Ecclesiasticus.

Hæc vero fragmenta, & si lectu sunt dif-
ficillima, quia recens Scriptura veterem ob-
ruit & quasi absorbet, tamen si propius spe-
ctentur, legi possunt. Sed foliorum ordo
prius restituendus est. Nam is, qui S. E-
phræmi Sermones in illis membranis exara-
vit, videtur operam dedisse, ne usui deinde
unquam forent venerandæ illæ Codicis Sacri
reliquiæ: adeo folia permiscuit, invertit &
transposuit.

Quamobrem necesse est habere in promptu
indicem capitum, ad foliorum transposito-
rum numeros accommodatum, cujus ope
reperiantur fragmenta utriusque Testamen-
ti, per totum volumen dispersa.

Observandæ quoque in hujus codicis mar-
ginibus variæ lectiones & additamenta, qui-
bus id, quod uni Evangelistæ deest, ex alio
suppletur.

Item notæ Liturgicæ, per quas indicantur
quotidianæ lectiones Evangelii & aliorum
utriusque Testamenti librorum.

Sunt

„Sunt autem hæc ipsa (ad marginem) literis
 „quidem capitalibus scripta, sed inclinatis &
 „angustioris formæ, non quadratis, ut in
 „media pagina. Præterea in marginibus atra-
 „mentum crassius. Denique in contextu Or-
 „thographia satis accurata; in marginibus
 „nulla. Quæ discrimina arguunt Scriptu-
 „ram marginalem multo *recentiorem* esse,
 „quam alteram.

„In hujus codicis lectionibus multa sunt
 „singularia. Notatu dignissima est narratio
 „de piscina probatica Joh. c. V. Nam cum in
 „cæteris Codd legatur: Ἐν ταύταις κατέκειτο
 „πλήθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν,
 „ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν ὕδατος κίνησιν. Ἄγγελος
 „ὃδ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβίᾳ, θρα,
 „καὶ ἐτάρασε τὸ ὕδωρ. ὃ ἔν πρώτῳ ἐμβὰς μετὰ
 „τὴν ταραχὴν ἔ ὕδατος ὑγιῆς ἐγένετο, ὡς δὴ ποτε
 „εἶχε τὸ νοσήματι. Ἦν δὲ τις ἐκεῖ ἀνθρώπος τριά-
 „κοντα ὀκτώ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. (Cum, in-
 „quam, omnia hæc in cæteris Codd. reperi-
 „antur,) in hoc codice statim post, τυφλῶν,
 „χωλῶν, ξηρῶν, legitur: ΗΝ ΔΕ ΤΙΣ ΕΚΕΙ
 „ΑΝΘΡΩΠΟΣ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΚΑΙ ΟΚΤΩ ΕΤΗ
 „ΕΧΩΝ. (Adeoque finis versiculi tertii & in-
 „teger versiculus quartus in textu ipso illius
 „codicis non comparent.) Verum illa verba,
 „ἐκδεχομένων τὴν τῷ ὕδατος κίνησιν, & quæ se-
 „quuntur (vs. 4.) de Angelo, statis tempori-
 „bus descendente, ac de infirmis continuo
 „post aquam turbatam immergi solitis, in
 mar-

„margine scripta sunt manu diversa & recen-
 „tiore. Johannes Jacobus Cramerus Tigurinus,
 „juvenis apprime doctus, qui Hebraicarum
 „literarum Professor a civibus suis non ita pri-
 „dem delectus est, putabat *Scholium* illud ef-
 „se, quod e margine (in aliis exemplaribus)
 „in mediam paginam (sive in ipsum textum)
 „irrepisset, aiebatque se semper in ea opini-
 „one fuisse, etiam antequam hunc codicem
 „vidisset. Ita quoque in codice Beza scriptum
 „fuisse, accepi ex Clarissimo Viro Richardo
 „Simone.

„Haecenus D. Boivinius. Particulam au-
 „tem Codicis Regii, quæ spectat narrationem
 „de piscina probatica, Doct. Lamy in ære cœ-
 „landam curavit a perito artifice, qui Scriptu-
 „ram Veterum sic imitatus est, ut ipsum exem-
 „plar omnino expresserit.

„(Eandem quoque exhibuit Vir doctus Henr.
 „Sikius, in *Bibliotheca Ultrajectina novor. li-*
 „*bror. Tom. V.* ubi Argumentum Harmoniæ
 „Evangelicæ Bernardi Lamii recensetur.)

„Judicium meum (pergit Lamius) non in-
 „terponam de auctoritate pervetusti hujus
 „codicis, quem cura viri docti erutum pro-
 „duximus. Codex ille ipso Tertulliano dici
 „posset vetustior; unde non mirum esset, jam
 „tempore Tertulliani irrepisse in vulgatos co-
 „dices dictam particulam. Nisi quis dicat, &
 „tempore Tertulliani non admissum illum
 „quartum capituli quinti Johannis. Dici,
 in.

inquam, posset, mentionem ideo *Angeli* fieri a Tertulliano, ut ab aliis antiquis Scriptoribus, non quia *legerat*, sed quod *interpretaretur* aquam piscinæ non commotam nisi ab *Angelo* interveniente. *Subito enim videbatur aqua turbata, & a quo turbabatur, non videbatur.* *Credas hoc Angelica virtute fieri solere.* Sic *Augustinus* loquitur ad caput hocce *Johannis*, non aliam mentionem faciens *Angeli*, de quo quæstio est. Quod confirmaret interpretationem Tertulliani & aliorum oppositam margini fuisse; deinde inductam in ipsum textum. Sed, ut dixi, relinquo aliis hanc litem dijudicandam. Complures suspicabuntur mutilatum fuisse hunc codicem negligentia vel audacia scriptoris, cui historia *Angeli* videbatur dubia; & ideo dicent ipsum codicem neglectum & in alios meliores usus destinatum ab eo qui *S. Ephræmi* opuscula describenda habebat. Quicquid sit, codex ille monumentum est antiquissimum: forsan enim non alius est codex antiquior.

Haecenus doctissimus *Lamy*, cujus integrum discursum commemorare volui, partim ne aliquid negligere, partim quia ipsius *Harmonia*, *Parisiis* impressa, in omnium manibus & *Bibliothecis* non reperitur.

Me quod attinet, nequaquam sentio cum *Johanne Jacobo Crammero*, neque etiam cum *Lamio*, licet hæsitabundo, concedere possem, nar-

narrationem hanc *de Angelo* esse ἐμβολιμαῖον
 vel Glossema aliquod, postea textui insertum.
 Quia omnes codices antiquissimi eam habent,
 excepto illo Bezae, quem Academiae Canta-
 brigiensi legavit, secundum allegationem
 Hammondi, (cujus tamen ipse Beza in anno-
 tationibus nullam facit mentionem: Sed e-
 contra memorat duos codices, qui voci Ἀγγέ-
 λος addunt, Κυρίου, Domini) & hoc codice re-
 gio. Cui accedit, quod antiquissimæ etiam
 Versiones eam servaverunt, uti *Vulgata, Syri-
 riaca, Arabica & Æthiopica*. Quemadmodum
 etiam eam agnoscunt Patres Antiquissimi, (f)
Tertullianus, Augustinus aliique. Profecto u-
 nius vel etiam alterius codicis autoritas non
 potest labefactare constantem omnium reli-
 quorum codicum & versionum antiquissima-
 rum fidem. Ego plane censeo versum illum
 in Codice Bezae & hoc Codice Regio omissum
 fu.

(f) Constatem hic habemus Ludolphum Kusterum in
 Præfatione ad Novum Testamentum Joh. Millii. Qui
 postquam codices aliquot recensisset, in quibus de-
 sunt verba commatis quarti, tandem concludit: „Si
 igitur versus ille initio a Codicibus Novi Testamenti
 abfuit, & postea demum in textum Evangelii Johannis
 irrepsit; id factum oportuit jam ante tempora Ter-
 tulliani, quippe qui ad hunc locum respexit lib. *de
 Baptismo*, ubi ait: *Piscinam Bethsaidam Angelus in-
 terveniens commovebat* &c. Sed cui vetosimile fiet,
 jam Tertulliani tempore tantam codicum depravatio-
 nem factam fuisse, ut integer versus textui insertus sit?
 Excidere potuisse non adeo mirum.

fuisse vel audaciâ vel ἀβλεψία & incuriâ librarii, quod sæpissime contingere videmus hodiernis nostris typhotetis, ut integras aliquas regulas transfiliant. Sed postea ad *marginem* fuisse *notatum* illud, quod omissum fuerat. Præsertim quoniam in Codice illo Regio non tantum omittitur versiculus quartus, sed etiam pars tertii, ἐκδεχόμενων τῷ τῆ ὕδατος κίνησιν, *expectantium aqua commotionem*, quod tamen in codice Bezae reperitur. Et sane non ita accuratus est iste codex Regius, quin in pluribus abeat a vulgata lectione. Nam 1. versu primo, contra constantem omnium codicum fidem, legitur ἡ ἑορτὴ, pro ἑορτῇ sine articulo. 2. Versu 5. legitur τριάκοντα καὶ ὀκτώ, pro eo quod in omnibus codicibus est τριάκοντα ὀκτώ. 3. Ibidem, post vocem ἀθροεῖα, additur αὐτῶν, quod in vulgaribus codicibus non reperitur. Si ergo in tam paucis versiculis tria occurrunt additamenta; quidni paroramate vel audaciâ librarii particula commatis tertii & quartum integrum potest omissum fuisse? Præsertim, quum ipso Hammondo Judice, toti orationis seriei quam maxime consentaneum sit, ut adhæreamus vulgatæ lectioni, non admisissis mutationibus, quas nobis suggerunt Venerandæ Antiquitatis codices, invicem contrariis. Quod iudicium Hammondi tanto magis stringit, quum alioquin ere ipsius fuerat, versum quartum expunctum velle, quia is maxime adversatur ipsi.

ipsius hypothefi, quæ nihil fupernaturale in vi fanatrice pifcinæ probaticæ agnofcit. Tertullianus & Auguftinus, (me Judice) non aliunde *Angeli* mentionem faciunt, quam quia ita in textu legerant. *Angeli enim adventu*, inquit alibi Auguftinus, *intelligebatur moveri aqua in pifcina*. Forfan codex ille Regius neglectus fuit & in alios ufus deftinatus, quia parum accurate fcriptus, non paucos habens defectus, & alibi etiam additiones, quæ in textu ipfo non reperiuntur.

Vindicata ergo vera lectione, jam, porro inquirendum erit, an vis fanatrix hujus natatorix naturalis fuerit, an vero fupernaturalis & miraculofa?

§. X. Inter illos, qui *naturalem* hanc aquarum vim fuiſſe ſibi perſuaferunt, primus vel certe præcipuus eſt *Thomas Bartholinus*, quondam Regiæ Majeflatis Danicæ in Academia Hafnienſi Profeſſor Medicus Honorarius, cujus ſuper hoc argumento Commentarius Medico-Philologicus exſtat in *Faſciculo Roterodamenſi V.* ubi diſputat adverſus eos, qui pifcinæ huic probaticæ *naturalem* curandi morbos *virtutem* invident, atque hic & alibi *miracula* urgeant. Argumenta autem ejus hæc ſunt.

I. Quia *κατὰ καὶ ἐν* movebatur pifcina, & ſtatas curandi fluendique vices ſervabat, aliarum aquarum medicatarum more. Hic, poſtquam varia exempla adduxerat *fluviiorum*.

qui certis temporibus aquis abundant & aliis sicci sunt; & *ibermarum*, quarum aquæ certo tantum tempore valetudini salutare sunt; tandem concludit: „Hinc, si κατὰ καιρὸν de „commodo festorum tempore, in æstate celebratorum, Paschatis, & Pentecostes interpretemur, sive de quavis opportunitate collectivè; „res pro naturali piscinæ virtute erit confecta, „calidioribus mensibus, neutiquam frigidioribus commendata. Respondeo 1. Quod omnia exempla fluviorum vel stagnorum, certis temporibus aquis abundantium & aliis denuo siccorum, nihil faciant ad rhombum; quum virtus illa hujus lavacri non derivetur a copia vel penuria aquæ, sed a turbatione, quæ Angeli fiebat operâ. 2. Si κατὰ καιρὸν interpretemur de quovis festo, Paschatis & Pentecostes, cur non etiam de festo Scenopegiæ? Præterea 3. Si naturalis fuit aquarum virtus, certe non potuit tantum eis adfuisse tempore festorum illorum. Si vero per totam æstatem, a festo Paschatis ad Scenopegiam, quomodo ægroti dici possunt expectasse donec aqua turbaretur? & quomodo unus tantum curabatur, qui primus in aquam post commotionem descendisset? Et quomodo Paralyticus ille per multos annos non potuit aquis salubribus mersari? Quod enim subjungit: „Miraculi si fidem „mereretur, quovis tempore, sine cæli varietate, mortalibus ægris profuisset; Id ego retorqueo: Si miraculosa non fuit vis aquæ,

quovis tempore, æstivo saltem, mortalibus agris profuisset. Jam vero, non dicit historia, quod tempus illud, quo aqua illa virtutem medicam præstabat, secundum cæli temperiem putandum fuerit, sed *quovis tempore*, quando *Angelus* descendens turbabat aquam.

II. Verum hoc argumentum nostrum eludere conatur Vir Cl. & ex eo pro sua sententia rationem alteram exsculpere. „Piscina, inquit, probatica, ut usui apta redderetur, „*movenda* prius erat & *turbanda*. Turbatur „vero sive statis vicibus *increscens*, sive subter- „*raneo calore*, vel concluso aëre vi erumpente „commota ebulliensque, & luti virtutes per „omnem aquæ superficiem distribuens. Quæ singula variis exemplis *Thermarum* comprobare conatur. „Unde, pergit, audiendus „non est *Maldonatus*, qui ex motu turbido piscinæ „nostræ *miraculosam* sanationem finxit. Verum, quis ipsi asseveravit, *thermarum* naturam habuisse hanc aquam? Quum nihil de eo *Evangelista*; Nihil *Josephus*, de *Thermis*, quæ Hierosolymæ fuerint. Ab aliis autem thermis balneisque ad hanc *κολυμβήδραν* argumentari velle, extra oleas est.

Pag. 395. ipse sibi objicit: „Si vero naturali „internoque seu externo principio piscina „probativa mota & turbata fuit, cur *Angelus* dicitur *descendisse*? Joh. V. 4. Princeps hoc ferre argumentum, quo miraculum piscinæ adstruunt Theologi, in vero *Angelo*, incorpo-

reca illa substantia, consentientes. Verum ipse respondet: „*ἄγγελος* causam moventem, aquarum notat, sive vim a Deo naturæ insitam, sive externam internamve ventorum commotionem. Prius illud, nempe quod *ἄγγελος* hic notare possit vim naturæ a Deo insitam, comprobare conatur loco Eccl. V. 6. ubi Vir Divinus ait: *ne dicito coram ANGELO illo (ἄγγελος) errorem esse.* Quod LXX. reddiderunt, *καὶ προσώπῃ τῆς Θεῶς*, coram facie DEI, quos secuti sunt Syrus & Arabs. Verum mirum non est LXX. isthic transtulisse locum *Angeli per Deum ipsum*, quia per *Angelum* intelliguntur vel *Sacerdotes*, qui *Angeli Jehovæ* erant sub V. T. Mal. II. 7. vicemque *Dei* quodammodo gerebant in terris; vel *Μεγάλῃς* ille *Βεληῖς ἄγγελος*, Angelus increatus, Angelus Faciei Jehovæ; qui *unus cum Deo* adeoque *Deus* ipse est. Ut ut sit, non negamus, in hoc nostro loco commotionem aquæ *Deo* adscribi posse, sed quatenus eam per *Angelum* præstitit; idque virtute, non penitus naturali, sed *supernaturali*. Verum equidem est, quod citat ex Pererio, etiam affectiones operationesque causarum secundarum *Deo* authori tribui in S. S., ut ostendatur principaliter a *Deo* proficisci. Sed non solet Scriptura *S. causam secundam* memorare, in tali casu, ubi *Deus* immediate, absque causa secunda, operatur. Hic vero *Angelus* memoratur, cujus

interventu aquæ motæ sint; quod certe factum non fuisset, si Deus immediate vi naturali movisset & turbasset aquas, absque ullius Angeli opera & ministerio.

Hoc argumentum ut eludat, aliam excogitavit vocis *Angeli* expositionem; nimirum ut significet vel *calorem* subterraneum subito erumpentem, vel *ventum* externe advenientem, quibus aquæ valde motitabantur & conturbabantur. Hunc in finem allegat locum in Ps. CIV. 4. *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & Ministros tuos ignem flammantem. Quem putat de vento intelligendum, neutiquam de substantia incorporea.* Verum nos demonstravimus in commentario nostro ad Epistolam ad Hebræos c. I. 7. omnino istic de *Spiritibus incorporeis* sermonem esse. Quæ etiam Pauli Apostoli sententia fuit. Qui alioqui loco illo incassum ad scopum suum uteretur, Præterquam quod alia ratio sit in opere poetico, quale est illud canticum, & mera historia, qualis est narratio Johannis; qui sane *Angeli* vocem non adhibuisset, siquidem significare voluisset, aquas illas *vi naturali* intrinseca, vel *vento*, extrinsecus adveniente, turbatas fuisse.

III. Tertium argumentum ex eo sumit, quod commotis aquis, *ὁ πῦλος ἐμβάς, qui primus intraret, curabatur.* Quoniam vero illi, qui miraculum hic agnoscunt, e contrario inde argumentum formant; quod si *nati-*

salis fuisset aquæ virtus, non *primus* tantum & per consequens *unus*, sed *plures* atque *omnes* sanati fuissent; Ut hoc enervet, aliam τὸ ὄρθωτος expositionem adhibet: „Ὁ ὄρθωτος, inquit, non tam de *ordine* loquitur, quam *tempore*, ut mens Autoris sit, *simulac* post motum aquarum quis intrarit, aquarum *salutarium* vim expertum esse. Ita Græci Medici τὸ ὄρθωτος urgent in elleboro exhibendo, & vomitibus, in morbis, h. e. *subito* faciendis, non expectata concoctione, sed *primo* morbi *tempore*. Verum huic expositioni vix fidens, aliam subjungit; *Quod si ὄρθωτος* nativa nominis significatione servandus in *ordine*, *collectivum* crederem *singularis* pro *plurali* per *Enallagen*, *similium* locorum *authoritate* fretus. *Jes. 33: 7.* 2. *Sam. 19: 41.* Adeoque qui *PRIMUS* intraret, interpretandum esset, qui *PRIMI* intrarent. „Et ratio, inquit, suadet: Nam 1. *Plures* ad piscinam confluxerunt: 2. Miraculi major esset fides, si ad *plures* commodum spectaret; & sane miracula numerum amant. 3. Impotentiam aquæ proderet *uni* profuisse. 4. Si mysticum sensum cum Patribus hinc eruamus, Augustino, Ruperto, Beda, aquæ perturbatio Domini passionem notavit, quam ad *omnes* fluxisse indubie credimus. 5. Si *plures* portæ ad piscinam patulæ fuere, ut suspicatur *Adrichomius*, omnino eodem tempore *plures* potuerunt esse *primi*. Si *unam* portam conce.

„cedas, eamque tam *angustam*, jam secundum
 „naturæ captum nisi unus intrare poterat ne-
 „mo, unde subsidebat aqua, antequam secu-
 „turis porta pateret. Verum omnes illæ ra-
 „tiones parum roboris habent, quando con-
 sideramus, quod vox *πρῶτος* significet *primum*
 ordine & tempore, sive *primum* sumamus ab-
 solute, pro *unico* tantum, quoties movebatur
 aqua, vel pro *primo* in suo genere, adeo, ut
 qui *primus* intraret, *tali* vel *tali* morbo corre-
 ptus, sanaretur. Ad *singulas* vero rationes
 respondeo. 1. Licet *plures* ad piscinam con-
 fluxerint, *primus* tamen *absolute*, sive *primus*,
isto morbo afflictus, tantum sanabatur. Quo-
 modo enim ille 38. annorum paralyticus, quia
 ab aliis præveniebatur, vim aquæ sanatricem
 non erat expertus? 2. Miraculi aquæ magna
 est fides, sive ad *plures*, sive ad *pauiores* spe-
 ctaverit. Et miracula numerum semper non
 amant. Quamvis & numerus successive sa-
 natorum ad *singulas* aquæ conturbationes,
 satis magnus fuerit. 3. Adeoque cadit & ra-
 tio tertia, quasi *uni* tantum profuerit aqua
 illa. 4. Quænam ratio mystica huic subsit,
 postea videbimus. 5. Si *plures* portæ ad a-
 quas patulæ fuere, potuerunt *plures* esse *primi*,
 adeoque vim sanatricem experti, vel si una
 tantum fuerit, *primus* unoquoque tempore
unus potuit fuisse.

IV. Quartum argumentum est, „quia pi-
 „scinæ probaticæ effectus naturalibus sunt si-

„millimi, & aliis quoque aquis medicatis
 „communes. Jacebant in porticibus *πλήθος*
 „πολὸν τῶν ἀδενέτων, nempe cæci, claudi, ari-
 „di, expectantes salutarem aquæ motum.
 „Nervosi generis sunt morbi omnes & aquis
 „medicatis *salenti* expugnari. Credunt qui-
 „dem satis ad miraculi veritatem confirman-
 „dam conferre, *cæcos* hoc fonte curandos.
 „Sed nihil minus. Miraculo non careret si
 „confirmata & a primis incunabilis producta
 „cæcitas eo fonte illuminaretur. Non de *his*,
 „sed de *levioribus* oculorum visusque defecti-
 „bus & vitiis sermo est, medicatâ undâ ab-
 „stergendis. Plinius autor est L. XXXI. 2.
 „in parte prima villæ *Ciceroniana* Puteolis eru-
 „pisse fontes calidos, perquam salubres ocu-
 „lis, celebratos hoc Laureæ Tullii carmine:

„Hic etiam apparent Lymphæ, non ante
 repertæ,

„Languida quæ infuso lumina rore le-
 vant.

„Nimirum locus ipse sui Ciceronis ho-
 nori

„Hoc dedit, hoc fontes cum patefecit
 ope.

„Ut, quoniam totum legitur sine fine per
 orbem,

„Sint plures, oculis quæ medeantur,
 aquæ.

„Et

„Et ne aliunde plura exempla provocem;
 „sufficit Christi exemplum Joh. IX. 7. qui cæ-
 „cum ad *κολυμβήθραν Siloë* amandat, ut ab-
 „lueretur oculi vitium, quantum *curabile*.
 „Incurabile enim & nativam cæcitatem ipse
 „per lutum & Divinam potestatem abolevit.

Haecenus Vir Doctissimus. Verum,
 quidnam hoc aliud est, quam *δύλευν τῆ
 ὑπόθεσι*, id est, quidvis excogitare, ne hy-
 pothesis deseratur? Gratis enim supponitur,
 1. tantum *claudos, cæcos & aridos* curatos fuis-
 se per aquas piscinæ. Quum liquidum sit, *hos*
 morbos tantum *recenseri*, tanquam *species*, pro
 omni *genere* morborum, quicumque essent, &
 quam *difficiles* curatu, uti patet ex *vs. 4.* 2.
 Multo adhuc minore cum fundamento sup-
 ponitur per *cæcitatem* tantum intelligi *oculo-
 rum aliquam hebitudinem & leviores oculorum de-
 fectus*, non vero *confirmatam cæcitatem*.
 Quod enim infert, injuriosum fore potentia
 Christi, si etiam *confirmatam cæcitatem* per a-
 quas has curatam fuisse censeremus: illud e-
 quidem procederet, si *naturalem* statuere-
 mus virtutem illam piscinæ, sed nihil officit
 potentia Christi, quum *supernaturalem & Di-
 vinâ virtute factam* hujus lavacri curationem
 credimas. 3. Quod vero Christus *cæcum* a se
 curatum, amandaverit *ad κολυμβήθραν Siloë*,
 nequaquam factum est propter *virtutem natu-
 ralem aliquam* aquarum illius fontis, sed eodem

modo, uti Elifa *Naëmanem* Syrum amandavit ad aquas *Jordanis*, ut se lavaret, atque ita a lepra purgaretur. Ad quam purgationem non major vis naturalis erat in aquis *Jordanis*, quam fluviorum *Syriae*, uti recte observabat ipse *Naëman*. Opportune *Calvinus* ad Joh. IX. 7. „Neque in luto neque in aqua *Siloë* quicquam ad sanandos oculos virtutis fuisse certum est; Sed Christus libere externis istis symbolis miracula sua non semel ornavit; sive, ut fideles assuefaceret ad signorum usum, sive, ut ostenderet suo arbitrio subesse omnia; sive, ut testatum faceret, tantum potentia esse in singulis creaturis, quantum ipse dare velit. - - Lavare in piscina *Siloë* ideo forte jussit, ut *Judæis* exprobraret, non nisi per eos stare, quo minus sentirent presentem Dei virtutem: quemadmodum suæ ætatis homines *Jesaias* objurgat, quod contemtis aquis *Siloæ*, tacite fluentibus, rapidos & violentes fluvios appetant. *Jes. VIII. 5.* Eadem quoque fuisse ratio mihi videtur, cur *Elifæus* *Naëman* Syrum in *Jordane* lavare jufferat.

Opponitur nobis, porro inquit *Bartholinus*, commate 4. sanatum post aquæ turbationem, ὡς δὴ ποτε κατείχεται νοσήματα, QUOCUNQUE MORBO DETINERETUR; quod plane portento simile, neutiquam naturali fontium virtuti conveniens. Verum quod ad hoc argumentum respondet, parum habet soliditatis. ὡς δὴ ποτε, in-

inquit, de illis morbis interpretemur, qui curari potuerunt. Et porro: Nos debita Christi miraculis religione, asserimus per piscinam morbos expiatis humana arte curabiles, ac Christum, desperatum annis, viribus & magnitudine mali Paralyticum, cura sua subiecisse; ut se Deo parem ostenderet. Respondeo 1. *Gratis* non tantum, sed contra verisimilitudinem etiam τὸ ὠδύποτε sic explicari. Si enim omnes illi morbi humana arte curabiles erant, cur paralyticus ille 38. annorum tam diu incuratus mansit? 2. Et si ipsius paralytis jam desperata fuit & incurabilis per aquas piscinæ, cur adhuc in porticibus permanfit, expectans, ut & ipse salutarem aquæ vim experiretur? Certe historia nos docet, illum etiam sanitatem recuperaturum fuisse, siquidem aliquis eum adjuviffet, ut primus, post aquæ turbationem in eam descendere potuiffet.

V. Tandem pro quinto argumento allegat, quod Messie, in carnem manifestato, ingens Majestatis Divinæ detrimentum accederet, si piscina portentose curasset. Quod argumentum ego retorquere possem: Etenim, si aqua hujus lavacri vim habuerit naturalem, omnis generis morbos curandi, annon hoc aliquo modo faceret ad obfuscandam gloriam sanationum Christi? Sed si miraculosa & supernaturalis fuit illa aquarum virtus, plane facit ad illustrandam Dei potentiam & bonitatem; quæ sane nunquam obscurare potest potentiam Christi, quum

quum gloria & potentia Dei Patris & Filii una eademque sint; & sicut opera *Filii* sunt opera *Patris*, Joh. VIII. 41. IX. 3. sic & opera *Patris* sunt opera *Filii*. Quando autem dicit Christus se fecisse opera, *quæ nemo alius fecit*, sane non excludit potentiam *Dei*, sed tantum aliorum *hominum*.

Unde hoc capite (pergit Bartholinus) *Johannis*, (nempe V.) ex miraculis *Messiam* se recte probavit, quæ per annorum 400 silentium post *Malachiam* desierant, ut eo signo, tanquam certissimo, tempus *adventus Christi* mortalibus innotesceret. Respondeo; Verissimum esse, quod donum, sicut *Prophetiæ*, ita etiam *miraculorum*, post *Malachiam* desierit. Verum tamen in *Dissertationibus*, nuper editis, Lib. VI. c. 8. Cl. *Vitringa* observavit & demonstravit, sententiam hanc, de defectu *Oraculorum* post *Malachiam*, non ita accipiendam esse, ac si *Deus Sanctos*, qui medio tempore inter *Malachiam* & *Johannem Baptistam* vixerunt, nullis plane dignatus esset extraordinariis revelationibus suæ voluntatis, cum historia *Evangelica*, *Josephus* & *Talmudici* ipsi contrarium passim testentur; atque adeo, communem illam opinionem non esse admittendam absque quibusdam temperamentis. Quem in finem primo exhibentur quidam homines pii, quos dono prophetico instructos *Josephus* laudat, ut *Judas Essenus*, *Pollio*, *Sameas*, *Menahem*. Deinde specimina *alloquiorum* aut *vocum*, si-
len.

lento auditarum, quibus Deus Sanctis quibusdam viris, voluntatem suam & præsentis aut futuri temporis arcana revelavit; tam ex Josepho quam ex Talmudicis, qui de *בת קול* *Filia vocis*, quam vocant, frequentes loquuntur. Denique aliæ species revelationum Divinarum illius temporis, quod inter Malachiam & Johannem Baptistam intercurrit, ex historia recensentur; quales illæ *apparitionum Angelicarum*, somniorum Divinorum, & Divini instinctus aut afflatus. Et sic tandem concluditur, in universum dicendum non videri, tempore, quod interfluxit inter Malachiam & œconomiam novam, extraordinarias revelationes Divinæ voluntatis penitus defecisse; sed tantum Prophetas Canonicos, a Deo extra ordinem missos, quales olim erant *Samuel, Nathan, Elias, Elisa, Jesaias, Jeremias* & similes.

Jam vero quoniam *donum Prophetie & Miracula* pari passu ambulant, ita statuendum est, *donum miraculorum* una cum Prophetia quidem cessavisse post Malachiam vatem, sed tamen non ita in universum, quin aliquot effectus miraculosos, ad solatium populi, superesse Deus voluerit, cujus specimen fuit in supernaturali sanandi virtute *piscinæ hujus probaticæ*. Idque in præludium & typum forte Messie venturi, qui summus *Propheta & miraculorum Patrator*, idque propria virtute futurus erat.

VI. Sextum Bartholini Argumentum est, quod *Miraculum piscine nullus Scriptorum veterum vel minimo apice agnovit.* Respondeo: Me hoc *retorquere.* Etenim *Naturalem* illam *vim sanatricem* piscine Siloam & Bethesda nullus Veterum Scriptorum vel minimo apice agnovit. Et tanto magis adversus ipsum stringit hoc argumentum, quia, si virtus sanatrix utriusque lavacri fuerit *naturalis*, debuisset esse *memorata* in libris Historicis vel Prophetis Veteris Testamenti. Uti & apud *Josephum* atque apud *Philonem Judeum.* Atqui D. Johannes historiam ita recenset, ut ad unum omnes Interpretes tam veteres quam recentiores, ad Bartholinum usque, de *miraculo* hic cogitaverint. Apud *Josephum* autem & *Philonem* altum cum sit de hac re silentium, nihil ex illis probari potest.

§. XI. Præter *Bartholinum* autem alius adhuc est, qui miraculosam fuisse virtutem sanatricem piscine probaticæ negare sustinuit; nimirum *Henricus Hammondus*, sed qui Bartholini rationibus non contentus, aliam excogitavit eamque valde paradoxam hypothesein. „Crediderim, inquit, in ea Piscina, non *viscera* tantum & *ossa* mactatarum, & quidem a Ministris Templi. Quod comprobare nititur testimonio *Benjaminis* in itinerario: „*Ibi conspicitur etiamnum hodie piscina, in qua veteres immolabant vel mactabant victimas suas, & unusquisque*

quisque *Judeorum* inscribat nomen suum. Verum cum *Benjamin* ille vixerit corrente seculo duodecimo post natum Christum, testis fide dignus non potest esse illorum, quæ Christi tempore inter *Judæos* obtinebant. Præterquam quod illud ipsum non continet descriptio *Benjaminis*, quod vellet *Hammondus*. Qui dein etiam allegat *Brocardi* testimonium, supra a nobis recensitum. Et præterea *Theophylacti*, qui observat vulgo hanc afferri rationem virtutis sanatricis, quam Deus illis aquis concesserat, ὅτι τὸ πλύνεσθαι τὰ ἐντέριον τῶν ἱερῶν, quod ibi lavarentur intestina victimarum. Atque hunc credit sensum esse verborum *Hieronymi*, de locis *Hebraicis*: „Ostenduntur gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri solet, alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lavari a sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomen accepit. Quod clarius exprimit *Eusebius*: „BEZATHA, Piscina *Hierosolymis*, quæ est *PROBATICÆ*, olim quinque porticus habens. Et nunc ostenditur ibidem in geminis stagnis: quorum alterum quidem annuis imbribus repletur: alterum vero mire rubentem prodit aquam, vestigium, ut ajunt, ferens earum, quæ olim in eo mundabantur, hostiarum; a quo & *probatice* (seu *pecuælis*) ob sacrificia vocatur. Verum quis non videt, & *Hieronimum* & *Eusebium* non narrare, quæ ipsi vera compererint, sed ex relatione
 ali-

aliōrum: *ut ajunt, ut perhibent?* Etnos supra
fatis evicimus, lavacrum illud non infervisse
abluendis *animalibus*, seu *ante* five *post* maēta-
tionem, sed *hominibus*. Neque etiam infer-
vūt excipiēdo victimarum *sanguini*; ille e-
nim per canales ex templo sese exonerabat in
torrentem Kedron.

Observandum autem, pergit Hammondus,
eos, qui cupiebant curari in hac piscina, fuisse,
non quolibet morbo affectus, sed *cæcos*, *claudos*, &
eos, quorum aridum erat aliquod membrum, &
forte etiam paralyticos. vs. 3. Verum nos jam
monuimus, *gratis* illud dici, quum satis pa-
teat, *hos* tantum morbos recenseri, & *cæteros*
sub iis *comprehendi*; præsertim quum accedat
generalis illa locutio, quod *sanus* fiebat, qui-
libet intrans in aquam, **A QUOCUNQUE**
DETINERETUR MORBO.

Sed quis non rideat, quæ porro subjungit:
„Nec mirum videri debet, si aquæ illæ sanandi
„claudicationem &c. vim acciperent, cum
„aliquando ægri curentur, immissi ventri be-
„stia, recens eviscerata, vel involuti cute o-
„vis adhuc calente, vel applicatione membri
„vivi cuiuspiam animalis. Hujusmodi vim
„hæc piscina adipisci poterat ex visceribus vi-
„ctimarum, quæ quotidie in ea lavabantur,
„præsertim *festorum* tempore (quale hoc erat
„*vs. 1.*) quo multa victimarum millia uno die
„interficiebantur. Poterant certe tot victimæ
„aquam tingere, eamque virtutem in eam
ef-

effundere, præsertim dum aqua adhuc cale-
ret ex ablutione victimarum. & hominibus
in eam descendentibus turbaretur. vs. 4. Tum
enim crassiores sanguinis concreti partes,
quæ subsiderant, e fundo educebantur &
aquæ melius miscebantur.

Sed vestram fidem, Auditores! Verum
est, quosdam morbos, præsertim qui *nervos*
afficiunt, curari immisione partis affectæ in
bestiam recens occisam & evisceratam, vi ca-
loris vitalis istius animalis; sed an eadem vis
tribueretur aquæ, in qua viscera occisorum
animalium *abluta* sunt? Ergo cæci, claudi,
aridi adeant lanios nostros & immittant se va-
sibus, in quibus intestina multorum animalium
mense Novembri mactatorum abluta sunt.
Et si vel maxime talis aqua (quod tamen non
concedo) aliquo modo prodesse posset nervis
pedum vel manuum, quidnam quæso ad *cacitatem*
tollendam & visum restituendum effi-
ciet?

Sed tamen non sine ratione delirare vide-
tur Vir Doctissimus: „Hanc enim fuisse rati-
onem virtutis medicæ, quæ aquæ illi inerat,
duæ hæ circumstantiæ ostendere videntur:
Prima est, quod curatio non fieret *quovis tem-
pore*, sed *κατὰ καιρόν* vs. 4. Quæ verba
significant *festi statum tempus* & forte quidem
solum, ut apparet ex vs. 1. (Sed de quo
postea videbimus.) „Secunda circumstantia
est, quod ægri aquam subirent statim ac *tur-
bata*

„*bata* fuerat, unde colligere est, *tum* in aqua
 „virtutem illam fuisse, quæ nulla erat post-
 „quam sanguinis partes, quæ commotione
 „aquæ e fundo eductæ fuerant, in vapores
 „abierant, vel rursus subsiderant. Sed quis
 non videt, nullum in hac ratione esse pon-
 dus aut vim? Verum est, *tum* tantum in aqua
 virtutem fuisse, cum *turbata* erat, ab *Angelo*
 scilicet descendente; sed de *sanguine* aquæ
mixto, eamque reddente *turbidam*, altissimum
 est silentium.

Istud vero quod de *motione per Angelum* dixi,
 sensit Vir Doctus *objici* posse. Adeoque de
 eludendo hoc argumento, cogitavit: „Hæc
 „omnia cum naturalia sint, & absque ullius
 „interventu miraculi fieri potuerint, parum
 „verosimile videtur, *Αγγελον*, de quo vers. 4.
 „fuisse *Angelum Dei*. Haud ægre crediderim
 „fuisse *Ministrum*, vel *servum*, qui mittebatur
 „a Sacerdotibus tempore opportuno, ad tur-
 „bandam aquam, & cum esset nuncius præ-
 „missus, veluti ad ægros monendos, ut se se-
 „querentur, recte dici potest *Αγγελος*, non
 „*Angelus*, sed *nuncius*. Vide Act. XII. 1. (ubi
 tamen nihil simile occurrit, sed forsan spectat
 vs. 15.)

Respondeo 1. In quibusdam Codicibus
 diserte in Græco textu scriptum inveniri *Αγγε-
 λος κυρίου*, *Angelus Domini*. 2. Etiam si forsan
 illud *κυρίου* in quibusdam MSS. ex glossemate
 in textum irrepisse potuerit, existimo tamen

liquidum esse & supra satis demonstravi, per
Angelum non nisi *Spiritum incorporeum* designari.
 Verum quidem est, vocem *ἄγγελος* etiam
 de *hominibus* usurpari, uti *Jos. 2:25*. *Legati a*
Josua missi vocantur *ἄγγελοι*, *Belgis, Geson-*
dene, itemque nuntii *Johannis Baptistæ &*
Christi, Belgice, Boden. Sed (a) ibi vox
 illa occurrit in *plurali* numero, hic autem in
singulari; cujus exemplum non extat in toto
 Novi instrumenti codice. Quod tamen non
 fringeret, nisi accederet, (b) quod in tribus
 iis locis ex circumstantiis pateat, *ἄγγελλος* il-
 los fuisse *homines*, a *Josua, Johanne & Chri-*
sto missos; quæ vox vel diserte exprimitur;
 vel saltem memoratur *cujus* fuerint illi homi-
 nes *nuntii*. Verum quum *absolute* memoratur
Angelus, sine ulla additione, *cujus* *Angelus*
 fuerit, plane concludendum est, esse *Ange-*
lum Dei. Locum *Act. XII. 15*. quod attinet,
 ubi quidam, cum *Petrus, ex carcere liberatus,*
 pulsabat fores *Mariæ, matris Johannis,* di-
 xisse perhibentur, *ὁ ἄγγελος αὐτῶν ἐστίν*, adhuc
 sub judice lis est, an non ex *Judæorum opi-*
nione Angelum Petri tutelarem intellexerint;
 Vel an non *Deus* extraordinarie *Petri causâ*
miserit Angelum aliquem cælestem; vel an *ani-*
matem *Petri, quem forte jam occisum putabant,*
 a corpore sejunctam, ita appellaverint? Sed
 esto quod intellexerint *Nuntium* aliquem *ex*
ex carcere ad fideles missum; circumstantia
 textus rem tum definit, quia non *absolute di-*

citur Ἄγγελος, sed Ἄγγελος αὐτῶν, Angelus five nuntius EJUS.

Sed *objectionem* sibi format Vir Doctissimus, adversus allatam interpretationem de virtute naturali curandorum morborum ex ablutis vitimarum visceribus contracta. Nempe,
 „virtus illa dicitur sese exseruisse in primo duntaxat, qui in aquam infiliebat, & æger, a Christo curatus, diu ibi fuerat, & quidem frustra, quia alius ante illum sese in aquam immittebat; quæ circumstantia conciliari non posse videtur cum opinione de naturali virtute sanguinis, quæ se ad plures, quam ad unum porrexisset, si nihil præterea fuisset.

Quid vero ad has difficultates respondet? Nempe: „Fieri posse, ut cause essent, quare unus tantum curaretur, ortæ ex situ & dispositione loci &c. Quarum quum nulla fiat in textu mentio, non possunt a nobis tanto temporis intervallo remotis, divinari. At tamen quod ejusmodi aliquid esse potuerit, id sufficit ad objectionis vim declinandam. Sed cogitare debuerat Vir Doctus, a posse ad esse non valere consequentiam; & si quid ponatur ut possibile, saltem verisimilitudinem aliquam habere oportere.

„Exempli gratia (sic pergit) lacus, quo continebantur illæ medicinales aquæ, potuit unum duntaxat hominem simul capere, aut gradus, quibus in eum descendebatur, non

capaciores fuisse; atque id quidem ut facilius & certius curarentur ægri; nam virtus ex visceribus victimarum, in aquam delapsa, arcto inclusa spatio, major futura erat. Ita balneum medicum, in quod infusiones herbarum immittuntur &c. non est plerumque majus, quam ut unum capiat ægrum, idque ut pharmacorum vis fit major, minori aquæ copia diluta. Si meminerimus, quam facile crassiores sanguinis victimarum particulae e fundo eductæ, rursus subsident & cogitemus ministro aliquod tribuendum fuisse spatium, ut aquam turbaret & adscenderet e piscina, priusquam eo æger descendere posset; Hinc necessario sequetur, una aquæ turbatione unum duntaxat curari posse ægrum.

Verum quis non miretur futiles tales conjecturas? Quomodo enim Viro erudito in mentem venire potuit, lacum, destinatum abluendis visceribus multorum millium victimarum, quæ uno die interficiebantur, non fuisse capaciore, quam ut *unum* tantum simul caperet hominem? Et si tantum *uni* simul pateret aditus, fane vix aliquot centena intestina uno die abluere potuissent, nedum ducentorum quinquaginta, quinque millium & sexcentorum agnorum, quos uno Paschatis festo mactatos ipse Hammondus ex Josepho refert. Certe si *Adrichomio* fides habenda sit, ipse piscinam hanc describit, ut sa-

tis amplam & præcipuam totius urbis! Et
Antonius Medina longitudinem ad 200. passus,
 latitudinem ad 60. & profunditatem ad 30.
 pedes extendit, referente *Bartolino* p. 403.

§ XII. Sic ergo defunctus sum refuta-
 tione hujus conjecturæ, tam absurdæ, ut ni-
 hil supra. Neque satis mirari possum, Cl.
 Clericum (qui alioqui in rebus levioris mo-
 menti *Hammondum* reprehendere solet)
 nihil ad hanc absurdissimam conjecturam no-
 tasse. Quod *silentium*, si pro *consensu* sumi
 debet, non equidem invideo; Sed miror ma-
 gis, Viros cæteroquin Doctissimos, studio
 eliminandi miracula ex S. Scriptura, in tam
 absurdas cogitationes delabi potuisse. Me
 quod attinet, si optionem facere deberem inter
 opinionem *Bartholini* & *Hammondi*, multo po-
 tius in castra prioris transirem. Sed puto me
 illum quoque satis refutasse, & vim miraculo-
 sam hujus lavacri idoneis argumentis adstru-
 xisse. Quæ, ut breviter repetam, hæc sunt:
 1. Quia, neque in Sacra Scriptura, neque
 apud *Josephum* aut *Philonem*, vel apex occur-
 rit, ex quo probetur, *Thermas medicinales* fu-
 isse *Hierosolymis*. 2. Quia *therme naturales*
 tantum inserviunt *aliquibus* morbis sanandis,
 verum aqua hæc tollebat omnem, quocunque
 quis detineretur, morbum. 3. *Thermarum*
 aquæ non nisi sæpius usitatæ & per interval-
 lum temporis ægros curare possunt; Sed hic

e vestigio sanabatur, quisquis post motam aquam eam ingressus fuerat. 4. Thermarum aquæ medicinales semper eandem vim habent, saltem certo tempore anni; Verum hæc aqua tantum sanabat κατὰ καιρὸν, aliquo brevi tempore, quod statum & fixum non erat, sed patienter debebat expectari. 5. Aqua hæc non sanabat, nisi postquam mota esset. 6. Et quidem per Angelum, descendentem in eam vel super illam. 7. Neque id beneficium præstabat pluribus, sed uni tantum & quidem primo, post turbationem in eam ingresso. Quæ omnia argumenta satis probant, non naturalem, sed supernaturalem & miraculosam fuisse virtutem sanatricem hujus piscinæ probaticæ. Quod erat concludendum.

s. XIII. Quo posito, tres adhuc Quæstiones expediendæ sunt: I. *Quomodo Angelus aquam turbaverit?* II. *Quam sepe id acciderit?* III. *Quando hæc vis miraculosa aquæ hujus inceperit, quando desierit?*

I. Ad *primum* quod attinet, non desunt, qui opinantur, Angelum quendam formâ visibili alis expansis ex cælo advolasse & super aquas se motitasse, vel in ipsas descendisse, ut eas turbaret. Quomodo res etiam vulgò repræsentatur in Pictorum Tabulis, figuris Biblicis, & tabulis etiam chorographicis. Verum hoc rejectare videtur ipse Estius, superstitiosus licet Pontificius. „Faciebat hoc

„(inquit) non contactu corporali, sed virtuali,
 „quem vocant. Inest enim Angelis virtus ad
 „movendum corpora secundum locum; quo
 „motu mediante ceteros etiam motus in cor-
 „poribus efficiunt. Quanquam hæc sanatio,
 „quæ fiebat per aquam motam, non angelicæ
 „virtuti, sed Divinæ, quæ sola miracula ope-
 „ratur, adscribenda est. Quod & ante ipsum
 „sensit Augustinus, in Joh. V. ubi ait: Subito
 „videbatur aqua turbata, sed a quo turbabatur,
 „non videbatur. Alii ergo opinantur aquam
 „commotam fuisse per immediatam Dei poten-
 „tiam & operationem, sed *Angelo* tribui, quod
 „Deus ipse effecit. Uti Eccl. V. 6. *coram facie*
 „*Angeli*, LXX. interpretantur, *coram facie Dei*.
 „Verum S. Scriptura Deo quidem adscribere so-
 „let, quod *per Angelos* effectum est, quia ipse
 „causa primaria fuit, sed non *Angelis*, quod
 „ipse immediate operatus fuerit. Utique, quo-
 „niam Angeli sunt πνευματὰ λειτουργικά, & De-
 „us eorum ministerio *uti* solitus fuit sub V. T.
 „quidni hic etiam *Angeli Ministerium* interve-
 „nisse credamus? Qui sane potuit apparuisse
 „forma visibili. Recte enim *Cl. Vitringa* de-
 „monstravit, illo & anteriori tempore, nempe
 „quod fluxit inter Malachiam & Johannem Ba-
 „ptistam, gentem Judaicam adhuc gavisam
 „fuisse „*Apparitionibus Angelorum*, huma-
 „nâ specie, varia tamen figura, diversisque
 „cum peristasis, factis, sive uni, sive plu-
 „ribus, non per quietem, sed vigilantibus;
 „si-

„sive Legati illi cœlestes mutis quibusdam si-
 „gnis absque voce indicium fecerint, sive
 „cum hominibus versati qualicunque modo,
 „ministerio *vocis* usi sint. Quarum appari-
 tionum exempla producit varia ex secundo
 Maccabæorum libro. Alii putant nullam An-
 geli formam apparuisse, sed descensum An-
 geli satis innotuisse per extraordinariam atque
 inexpectatam aquarum commotionem, non
 tantum in superficie, sed ad fundum usque,
 adeo ut summa imis commixta sint. Me quod
 attinet, nullam video rationem, cur non
 statuamus Angelum Dei visibili forma appa-
 ruisse *super vel ad stagnum*, atque ad ejus præ-
 sentiam ejusque operâ subito motas fuisse a-
 quas. Quod præstare potuit, etiamsi nullum
 adhiberet *instrumentum*, vel etiamsi in aquas
 ipsas non descenderet.

§. XIV. Ad *secundum* progredior. Neme-
 pe, quam crebro commotio hæc aquæ, a-
 deoque sanatio morbidi alicujus contigerit?
 Cujus quæstionis solutio dependet a vero
 sensu phraseos *κατὰ καιρὸν*. *Chrysostronus* ni-
 mis coarctare videtur hanc gratiam, dum *se-
 mel* tantum in *anno* communicatam refert.
 Quam sententiam & *Ambrosius* secutus est:
 „*Hæc piscina* (inquit) *in Hierosolymis erat, in*
 „*qua unus annuus sanabatur.* Alii idem sen-
 tiunt; inter quos nonnulli tempus ponunt
Paschatis, alii vero *Pentecostes*. *Ligtfootus*
 vero dubitat, an *singulis diebus festis* id contige-

rit, an vero solo in festo *Paschatis*? „Credis.
 „ne, inquit, infirmos hosce interdium noctu-
 „que hic jacuisse per totum annum? Videtur
 „potius turbationem aquæ & sanationem æ-
 „grorum fuisse solum in *festis*, si non solum in
 „festo *Paschatis*. Et forsan non incongruum
 „est κατὰ καιρὸν sub tali restrictione coërce-
 „re: *Erat festum Judæorum, & Angelus secundum*
 „*illud tempus descendit in piscinam &c.* Calvi-
 „nus: „Deus singulis diebus festis numerum
 „aliquem sanabat, ut hoc modo præscriptum
 „in lege cultum & Templi sanctitatem com-
 „mendaret. Verum rectius forsan *Montacui-*
 „*rius*: „Descendebat Angelus, non quotidie;
 „sed κατὰ καιρὸν, per intervalla, ad certas oc-
 „casiones, in consilio Divino determinatas.
 „Ita igitur *extraordinaria* dispensatio ului quo-
 „tidiano opponebatur. Sed illa temporis œ-
 „conomia quæ fuerit, non exprimitur.
 „- - Potior est eorum sententia, qui ut *tem-*
 „*pus* incertum, nec alligatum cuique festo
 „statuunt, ita quoque & *pluries* per eundem
 „annum, contigisse volunt. A qua non
 „multum abludit B. Lamy: „*Certo tempore* (in-
 „quiens) vel *interdum* præter expectatum, ut
 „videtur: alioqui non jacuissent in his porti-
 „cibus, nisi cum instaret illud tempus.

Postremum hoc vidimus asserentem Lig-
 footum; Scilicet non per totum annum, sed
 tantum, cum tempus illud instaret, ibi jacu-
 isse ægros. Verum quo fundamento?

Nul-

Nullo certe, quam quia ita opinatur. Me
 quod attinet, in eorum potius descendo sen-
 tentiam, qui putant, phrasin, *κατὰ καιρὸν*,
distributive significare *diversa* temporis *inter-*
valla, eaque *incerta*, quibus Angelus descen-
 debat. Qui descensus, quum sæpius præter
 expectatum accideret, ad piscinam illam
 commune quasi nosodochium, *quinque por-*
ticibus, sive *conclavibus* constans, exstructum
 fuisse. In quibus *passim* decumbebant groti,
 ut semper *præsto* essent, quando aqua per An-
 gelum commovebatur.

§. XV. *Tertium* autem, quod discuti-
 endum nobis erat, spectat tempus, quando
primum inceperit vis hæc sanatrix piscinæ Be-
 thesdeæ; & quando *deserit*? Certum qui-
 dem, neque Josephum neque Philonem,
 quidquam de aquis hisce sanatricibus scripto
 consignasse. Verum id nequaquam officit
 veritati & auctoritati narrationis Evangelicæ,
 quod ad *questionem facti*. Plures enim casus
 admodum memorabiles illi silentio præter-
 mittunt, uti infanticidium Bethlehemiticum,
 & integram Jesu Christi Historiam. Quæ e-
 nim paucula habet Josephus *de Jesu Christo*, in
 censum venire non possunt, & jam dudum a
 Viris Doctissimis explosa sunt ut sublestæ fi-
 dei, & per piam, uti vocabant, fraudem
 textui infarta. Quantum autem ad tempus,
 quando primum inceperit, fuse de eo dispu-
 tat Montacutius, qui, post allatas veterum
 opi.

opiniones, tandem & *suam* promit, hisce
 verbis: „Potius putarim invaluisse hoc mira-
 „culum a Maccabaicis temporibus, ad interi-
 „tum vergente Judæorum politia: multis
 „modis oppresso & contrito illo populo: in
 „aliquam saltem ipsorum consolationem, ces-
 „santibus oraculis prophetarum, ne plane &
 „in solidum rejecisse illam gentem videretur
 „Deus, tanto olim amore complexam. Sub-
 „jungit insignem *Chemnitii* locum, sed qui pro-
 „lixior est, quam ut heic recenseamus. „Nul-
 „lam vero mentionem ejus *Josephi* vel *Philonis*
 „scriptis ingestam, nemini mirum videri de-
 „bet, quum uterque post Christi adscensio-
 „nem scripserit & effusionem Spiritus Sancti;
 „a quo tempore Judæorum rejectio fere incipit,
 „& per consequens charismatum illorum in-
 „ter eos cessatio. Sic certe Tertullianus con-
 „tra Jud. c. 13. *Recognoscant Judæi exitum suum,*
quem post adventum Christi relaturi præcinebantur,
ob impietatem, qua eum (J. Christum) & despexe-
runt & interfecerunt. - Nam exinde destitit a-
puud illos Dei gratia. Atque inter alia: Piscina
Betsaida, usque ad adventum Christi, curando in-
valetudines ab Israël, destitit a beneficiis deinde,
quum ex perseverantia furoris sui nomen Domini
per ipsos blasphemaretur.

Notatu etiam digna sunt, quæ in hanc rem
 scribit laudatus jam sæpius *Lamy*: „Tantæ rei
 „nulla est mentio in Veteri Testamento, nec,
 „quod mirum, apud Hebræos; qui tamen
 omnes

„omnes Hierosolymæ laudes minutatim pro-
 „sequuntur. Hujus silentii hæc forsitan causa
 „fuit, quod medicatrix aquarum virtus adve-
 „nientis Messiaë indicium haberetur. Non
 „dubito, quin *typus* fuerit; quo tempore in-
 „stitutus, nescio. Credo paucis ante Jesum
 „natum annis, cujus temporis acta non ha-
 „bemus nisi pauca in Josepho. Hoc typo ad-
 „monebantur Judæi, paratos esse debere ad
 „illud momentum, quo adventante Messia
 „contendere quisque deberet, ut *prior* esset in
 „requirendis ejus beneficiis.

Postremum hoc jam ante ipsum monuerat
 Calvinus: „Non dubito, quin tempus re-
 „demptionis instare & propinquum esse Chri-
 „stum, authorem salutis, talibus signis mo-
 „nuerit, quo melius omnium animi exper-
 „gerent.

Præsertim vero hic placet Johannis Ligtfooti
 Commentatio: „Cum jam non longe ad-
 „modum longe abesset tempus, quo *aperien-*
 „*dus erat fons iste, qui abluturus erat peccatum*
 „*& immunditiam*, Zach. XIII. 1. fons scilicet
 „sanguinis Christi, voluit Divina Providen-
 „tia, ut res tam ineffabilis excellentiæ & be-
 „neficii nobili aliquo præcurfore & prognosti-
 „co non careret. Inter omnes vero fontes &
 „piscinæ, quæ erant Hierosolymis, inser-
 „vientes ablutioni immundorum, nobilissi-
 „mam & celeberrimam *Bethesdam* vel *Siloa-*
 „*num* sibi elegit, ut in ea præfiguratio istius
 rei

rei signaretur. Fiunt ergo aquæ istæ,
 quæ fuerant *purificatrices* tantum antea, jam
sanatrices etiam, ut per purificationem & sa-
 nationem præsignificarent, & non longe
 abesse prænuntiarent fontem illum verum &
 vivum, qui purgaret & sanaret in summo
 gradu.

Quot annis ante passionem Christi pri-
 mum apparuerit virtus hæc miraculosa pisci-
 næ, non effantur Oracula sacra, & de mira-
 culo ipso silent, quantum comperi, pagina
 traditionales, quamvis ipsissimæ hujus rei
 ergo non paucos Judæorum tractatus serio
 evolverim. A quamam igitur Epochâ sit hi-
 storia ejus inchoanda, audacius foret deter-
 minare. An ab exstructione portæ probati-
 cæ per Eliasibum, ut quidam magni nomi-
 nis (vult): An ab extinctionione familiæ Af-
 monæ: An a reedificatione Templi per
 Herodem: An a nativitate Christi: An ab
 alio aliquo tempore, judicet lector pro suo
 arbitrio. Quid si a terræ motu isto, de quo
 Josephus, Antt. lib. XV. c. 7. quod in Judæa
 acciderit septimo regni Herodis anno, quo
 cæsi sunt homines a corruentibus ædifi-
 ciis circiter decies mille. Forsan inde ruina
 turris in Siloam, de qua Luc. XIII. 4. Et
 quid, si tum primus descensus Angeli in hanc
 piscinam Siloami? Matth. XXVIII. 2. An-
 gelus cum *terra motu* descendit &c. Sed
 mallem hic *discere* quam *docere*.

Quæri posset, pergît Noster, unde primum in-
notuerit sanationem agrorum sequi turbationem a-
que? Sed hoc æque latet in obscuro: præsertim
vero cum & Spiritus Prophetiæ & apparitio Ange-
lorum & miracula tam diu inaudita fuerant in to-
ta gente. Quod tamen cum grano salis & non
sine temperamento & exceptionibus accipi-
endum, jam supra ex Cl. Vitringa monuimus.

Memorable autem est, quod porro citat
idem ex Josepho *Lib. V. de Bello Jud. Cap. XXVI.*
ubi verba Josephi ipsius, populum hortantis
deditionem: „Tito fontes abundanter fluunt, qui
vobis antea exsiccabantur. Nam nostis ut ante
ejus adventum Siloam, atque omnes circa urbem
fontes desecerint, ita ut aquæ coëmerentur per am-
phoras. Ast nunc hostibus vestris ita affluunt,
ut non ipsis solum & jumentis eorum, sed & hortis
sufficiant.

„Si tale miraculum in aquis, ad adventum
hostis; minus mirum, si miraculum in iis
modo diverso ante adventum Salvatoris. Uti
recte observat Autor noster.

Denique Colophonis loco addit: „Quo-
usque duraverit post hanc sanationem infir-
mi per Salvatorem, virtus hæc piscinæ, an
ad excidium Urbis, an cessaverit ante, an
ab hoc ipso tempore cessaverit, frustra qua-
retur, cum *d. scio* ejus æque, si non magis,
obscura sit, quam origo.

S. XVI. Qui Patrum allegoriis super
 aquis his sanatricibus delectatur, consulat
 Richardum Montacutum l. cit. pag. 114. 115.
 Mihi quidem plura exscribere nunc non
 vacat.

Augustinus in Psal. LXXI. p. m. 763.

„Moses *quinque libros* scripsit: sed in *quinque*
 „*porticibus* piscinam cingentibus languidi ja-
 „*cebant*, sed *curari* non poterant. Vide quo-
 „modo manet *litera*, convincens reum, non
 „salvans iniquum. Illis enim *quinque portici-*
 „*bus*, in figura *quinque librorum*, prodebantur
 „potius, quam *sanabantur* ægroti. Quid ergo
 „ibi tunc sanabat ægrotum? *Motus aquæ*. Pi-
 „scinâ illâ motâ descendebat ægrotus, & sana-
 „batur *unus*, quia *unitas*. Quisquis alius *an-*
 „*te* ipsum motum *descenderat*, non sanabatur.
 „Quomodo commendabatur unitas corporis
 „clamantis a finibus terræ? Alius non sanaba-
 „tur, nisi rursus mota fuisset piscina. Signi-
 „ficabat *piscinæ motus* perturbationem Populi
 „Judæorum, quando venit Dominus Jesus
 „Christus. *Angeli enim adventu* intelligeba-
 „tur *moveri* aqua in piscina. Aqua ergo cincta
 „porticibus quinque, gens erat Judæa, cin-
 „cta lege. Et in porticibus ægroti jacebant &
 „in sola aqua turbata & mota sanabantur. Ve-
 „nit Dominus & turbata est aqua: crucifixus
 „est, descendat ut sanetur ægrotus. Quid est
 „*descendat*? Humiliet se. Ergo quicumque
 „amatis *literam* sine gratia in porticibus re-
 ma-

„manebitis, ægri eritis, jacentes, non con-
„valescentes: de litera enim præsumitis.

Similia idem habet in Psal. LXXXIV. p. m.
922, item in Psal. CIII. pag. 1163.

Et Tomo IX. in Johannem C.V. „Piscina &
„aqua illa, *populum* mihi significare videtur
„Judæorum. Significari enim nomine aqua-
„rum *populum*, aperte nobis indicat Apoca-
lypsis Johannis C. XVII. &c. Item Tom. X.
p. 159. 160. De quibus & similibus judicium
sit penes eruditos. Ego manum de tabula.



II.

STEPHANI VITI,

Scapbusio-Helvetii,

Scholæque CASSELLENSIS Rectoris,

de

*Genuina humane LIBERTATIS natura atque
indole, & LIBERI nostrum ARBITRII cum
Divina PRÆDESTINATIONIS, Pro-
videntia, & vocationis necessitate ad-
posita conciliatione, (a)*

DISSERTATIO.

V. Fascic.

Uu

AR:

(a) Quamvis disquisitiones, quæ ad Theologiam, quam
dicunt Systematicam, spectant, limites, quos nobis
fiximus, videantur transilire, non ægre tamen laturum
lectorem speramus, quod hoc viri sane doctissimi

ARGUMENTUM.

Ignorata vera *libertatis nostræ* natura (§. 1.) efficit, ut alii *æternæ prædestinationi* (§. 2.) alii *libero nostro arbitrio* iniqua sentiant (§. 3. & 4.): alii denique licet *utrumque* admittant, negent tamen facile *conciliari posse* (§. 5.). Quæ autem *veritatum natura* est, si binæ istæ *veritates* recte cognoscantur non possunt *invicem videri pugnare* (§. 6.). Id quod potissimum ex recte *exposita libertatis natura* cognosci potest (§. 7.). Ea vero cum ex *divina libertate*, cujus *imago* est, potissimum *explianda* sit, cum *exponitur* quæ ratio *divinæ libertatis* sit (§. 8.), tum quæ *nostræ* ex suo *archetypo* (§. 9.). *Libertatis nostræ natura* sic *exposita* ulterius *confirmatur* *Scripturæ testimonio*, & ex *malarum mentium libertate* (§. 10.) ut & ex *propria experientia* (§. 11.) & ex *innata illa cupiditate veri atque boni*, *nostræ libertatis fundamento*, aliorumque *testimoniis* (§. 12. & 13.). *Illustratur* vero *refutatione objectionum* (§. 14.) & *ostensa libertatis diversitate*, pro *hominis status & cognitionis diversitate* (§. 15. & 16.). *Exposita* autem atque *confirmata* vera *libertatis nostræ natura*, illi *refutantur*, quæ eam in *indifferentia* positam putant (§. 17. 18. 19. 20.). Tandem *exposita* nostra de *prædestinatione*, *providentia & vocationis gratia sententia* (§. 21.) demonstratur, quomodo *arbitrium nostrum* eo *liberius* sit, quo *major necessitas* *prædestinationi*, quoque *major vis* *providentiæ & vocationi* tribuatur (§. 21. - 25.). Denique *concluditur* nostra *demonstratio* (§. 26.).

§. I.

meletema, pacem Ecclesiæ, quam anxii anhelamus, intendentis, inseruerimus: præcipue cum non tantum Philosophiam veterem felicissime cum sua hypothesis contulerit: sed etiam posthac alia Historiam & Philologiam sacram propius illustrantia, munifice nobis communicare promiserit, quæ & nobis & publico

§. I.

Sæpe ego mecum mirabar, quid esset causæ, cur, cum nihil nobis familiarius, nihilque tam cognatum esse possit ipsâ voluntatis nostræ libertate: eo pauciores tamen existant, qui illius naturam accuratius perspectam, & exploratam teneant, quo plures sunt, qui hoc argumentum tractandum susceperunt. Sed, quam aliam hujus rei rationem possis reddere, quam profundam illam mentis nostræ ignorantiam, quæ factum, ut non Heraclitus tantum, sed ipse cum Tertulliano, Epiphanio, Eusebio Lactantius mentis naturam ita absconditam esse dixerint, ut investigari non possit? Neque ego eum a vero aberrasse puto, qui ab Apostolorum ætate ad nostra usque, & patrum nostrorum tempora negavit, quæquam existitisse, si ab Augustino discesseris, qui veram mentis, & libertatis nostræ naturam cognoscendo perspexerit.

§. II. Itaque factum est, ut, cum plures liberos se non possent non sentire; nequirent vero, quam male cognoverunt, libertatem cum æternis & necessariis Dei decretis potentissimæque providentiæ conciliare, ea senserint, & adhuc sentiant, quæ summo Dei absolutissimoque in res conditas imperio iniquissima sunt.

U u 2

Qo-

gratis fore Cl. Author sibi certo certius persuasam esse velit. F. A. L.

Quotus enim quisque est , qui non cum Justino Martyre in prima Apologia , quam vulgo male secundæ loco ponunt , ita argumentetur : 'Ει καὶ εἰμαρμένην παντῶ γενέται , ἔτι το ἐφ' ἡμῖν ἐστὶν ὄλωσθαι . 'Ει δὲ εἰμαρται τον δε ζῆνα ἀγαθον εἶναι , τον δε Φαυλον , ἔδ' ἔτιος ἀποδεκτος , ἔδε ἕκείνος μεμπτες . Elegantisimis etiam , & prolixioribus verbis , quam quibus hic locus esse possit , Augustinus de Civ. Dei L. V. c. 9. refutat illos , qui , quod Dei præscientiam cum libero arbitrio conciliare nequeant , malunt , ut liberum arbitrium negata præscientia confirmarent , homines facere sacrilegos , quam non censere liberos .

§. III. Sunt vero alii , quibus cum Cartesio Epist. 8. L. I. ad Elisab. Princ. Palat. rationes omnes , quæ Dei existentiam probant , recte quoque probare videantur , illum etiam esse *causam* actionum omnium , quæ a libero arbitrio dependent . Quam sententiam cum non possint conciliare cum *libertate* , cujus veram *naturam* non intelligunt , rectius malunt *libertati* derogare , quam *Divinæ independentiæ* . Quamquam nondum mihi hæcenus persuadere potuerim , fuisse unquam , qui vere voluntatis nostræ *libertatem* negare sustinuerit ; omni enim eos oporteret & sensu & ratione carere . Sed illorum potius artibus factum puto , qui , cum *argumentis* non possint , imbellibus *consequentis* , quas ipsi ex verbis male intellectis & in omnem alium sensum detortis procudunt ,

veritatem oppugnant, ut qui cum ratione & S. Scriptura omnia *necessario* fieri contendunt, falso *negata libertatis* arguerentur.

§. IV. Sic olim Pelagiani omni antiquitate teste, eos, qui veritatem sequebantur, negare *liberum arbitrium* calumniabantur. Sic olim Lutherum Synergistæ propterea Manichæismi arguebant, quod & *Deum* videretur *auctorem peccati* constituere, & voluntatis *libertatem* tollere. Sic eadem jam nobis objiciunt, qui a sanctissima hujus herois & totius primæ Ecclesiæ Lutheranae doctrina non discedunt tantum, & cum Synergistis publice olim damnatis sentire videntur; sed innocentes nos, ut qui eadem sequimur, quæ ex sana ratione & S. Scriptura a nostro Theandro tanto ausu, tantisque viribus demonstrata sunt, pacis licet & concordia studiosissimos, tanta verborum acerbitate prosequuntur, quanta Lutherus olim ea condemnabat, quæ hodierni ipsius filii publice sentiunt, docentque.

§. V. Sunt denique, qui quidem & æternam *predestinationem Deo*, & *arbitrii libertatem nobis* vindicant: Sed ita utriusque veritatis rationes subducunt, ut non tantum negent, posse se perspicere, quæ ratio & *decretorum divinorum* necessitas, & voluntatis nostræ *libertas* placida *concordi* traducant *fœdera* nexu; sed etiam eam esse affirmant imperfectæ & finitæ mentis rationem, ut conciliandi *modum* non possit non ignorare. Hinc Augustinus de

persev. bon. cap. 14. Nunquid ideo, ait, negandum est, quod apertum est, quia comprehendere non potest, quod occultum est. Et Origines in Philoc. C. 1. ἡ χερῶν κοπιᾶσαι ἢ πρεσβυῖα Δεῖ τα μὴ γινώσκόμενα ὡς τοῖς γε ἀπᾶξ ὡς δεξαμένοις ἀλλήλων. Elegantissime quoque Boëth. de consol. Phil. Libr. V. metr. 3. de Dei providentia, & lib. arbitr. ita disputat:

*Quenam discors fœdera rerum
Causa resolvit? quis tanta Deus
Veris statuit bella duobus?
Ut quæ carptim singula constant,
Eadem nolint mixta jugari.
An nulla est discordia veris,
Semperque sibi certa coherent:
Sed mens cæcis obruta nimbis
Nequit oppressi luminis igne
Rerum tenues noscere nexus.*

Vide etiam Palingenii Zodiac. in Scorp. Adde ex recentioribus unum omnium instar Cartesianum princip. parte 1. §. 39. 40. 41.

§. VI. Sed ea est veritatum ratio atque natura, ut nunquam veritates aliæ aliis adversentur, sed commune quoddam vinculum habeant, & quasi necessaria quadam cognatione inter se ita contineant, ut major veritatum recte cognitarum consensus ne fingi quidem possit. Nulla est, ut cum Boëthio modo citato loquar, unquam discordia veris, semperque sibi certa coherent. *Quem conspirantem, & pene conflatum,* ut

ut Ciceronis verbis utar, *diversarum veritatum consensum qui non videt*: is tam nondum veritates singulas, quas invicem committit, clare & distincte novit, quam conciliare universas ignorat. Non enim unquam est, ubi sibi veritas ab alia veritate quicquam timeat, cum nihil veritas, Tertulliano adversus Valentinianos teste, *erubescat, nisi solummodo abscondi*. Quod si igitur vera sit & divinæ prædestinationis atque providentiæ necessitas, & nostræ voluntatis libertas: binæ istæ veritates recte cognitæ invicem pugnare ne quidem videri debent, sed altera ita alterius poscere opem, & conjurare amice, ut nec sua prædestinationi necessitas sine voluntatis nostræ libertate, nec libertati nostræ sua natura atque integritas, sine prædestinationis & providentiæ necessitate constare possit.

§. VII. Quod ut demonstrarem altius mihi gravisissimi hujus argumenti rationes ex demonstrata potissimum vera libertatis nostræ natura, repetendæ esse videntur. Itaque neminem esse puto, qui ex S. Scriptura didicerit, ita conditum esse hominem, ut esset (Manutii verbis utor) *Dei in imagine parva illustre exemplum*. Cum igitur & divinæ voluntati summam libertatem, nostræ vero adumbratam quandam, & ad divinam illam expressam libertatem nemo non recte tribuat: tum me recte nostræ libertatis naturam declaraturum puto, si quæ in nobis est ex Dei imagine liber-

tas, eam ex illius *Archetypo* æstimavero. Ne-
minem enim facile futurum arbitror, qui ne-
get, eo nostras *mentes* fore & *perfectiores*, &
liberiores, quod propius ad *divinam* illam & omni-
um *perfectissimam libertatem* accesserint.

§. VIII. Qis vero nescit summas Dei
perfectiones, maximamque libertatem in eo
consistere, quod, cum semet ipsum & quicquid
rerum *possibile* est in æternis suis perfectioni-
bus, quicquid vero rerum *futararum* est, in mu-
tari nesciis suis decretis infallibiliter & perfe-
ctissime intueatur, tum vero id tantum, quod
verum atque bonum vel *sua natura*, vel ex ipsi-
us *decreto* est, ita necessario *velit*, ut,
quæ summa ipsius perfectio est, ne quidem
aliter *velle* possit. Qam Dei libertatem, si qui ne-
gant, eos ego sane tantum abest, ut in Chri-
stianis habendos putem, ut ne quidem in ho-
minibus censeam. Deus enim esse non po-
test, nisi qui æterna, immutabili & necessaria
hac *libertate* fruitur. Insaniunt profecto, qui
hanc Dei sanctissimam libertatem *minus libe-
ram* propterea putant, quod *indifferens* non sit.
Audiamus sapientissime hac de re disputan-
tem Senecam Cap. XX, Lib. sexti de beneficiis:
*Non ideo minus vult, qui non potest nolle. Imo ma-
ximum argumentum est firmæ voluntatis, ne mu-
tari quidem posse. . . . Qis tam demens est, ut
eam neget voluntatem esse, cui non est periculum
desinendi, vertendique se in contrarium: cum ex
diverso nemo eque videri debeat velle, quam cuius*

voluntas usque eo certa est, ut aeterna sit? An si is
 quogue vult, qui potest statim nolle, is non videbitur
 velle, in cuius naturam non cadit nolle?

§. IX. Ad hanc igitur unicam veræ liber-
 tatis regulam si nostram mentem exigamus
 nihil facilius est, quam ostendere, quæ in re eti-
 am humana libertatis natura posita sit. Tum
 enim demum Deus suam libertatem in nostra
 libertate adumbrare, atque vivis quasi colori-
 bus repræsentare potest, si eam velit esse no-
 stræ voluntatis libertatem, ut nostra natura,
 necessario & sponte ita verum atque bonum clare at-
 que distincte potissimum cognitum velimus, ut ne qui-
 dem nolle possimus. Quid? quod ne aliam quidem po-
 tuit velle sanctissimus Deus creaturæ voluntatis
 naturam esse, quam qualem modo descripsimus.
 Non enim video, qui mentes nostræ si clare &
 distincte cognitum verum negare, bonum odisse
 possent, quomodo imago Dei, & creaturæ esse
 possent Deo sapientissimo & sanctissimo crea-
 tore dignæ.

§. X. Quemadmodum igitur S. Scriptu-
 ra imaginis divinæ integritatem ad *Ἐπιγνώσιν*
 Col. III. 10. & *δικαιοσύνην καὶ ὁσιότητά τ' ἀλη-
 θείας* ad Ephes. IV. 24. rectissime refert; do-
 ceretque tum demum veram libertatis Dei imagi-
 nem in nostra mente existere atque apparere, si
 res non obiter tantum, sed clare & distincte co-
 gnitas veras adfirmet, falsas neget, vere bonas
 amet, vere malas aversetur: ita imaginis hu-
 jus non obscura vestigia in malis etiam menti-
 bus

bus in eo relicta esse puto, quod tolli quidem a mente possit cum recta cognitione vere verique boni amor, tolli vero a mente non possit necessarius ille & naturalis intellectum inter & voluntatem nexus, quo falsa malaque veris & bonis non aliam ob rationem libere præferimus, quam quod *verorum* atque *bonorum* speciem nobis mentiantur. Adeo ut errores, malaque sub specie veritatis bonitatisque latentia voluntati imponant, ut eadem libertate complectantur ea, quæ *vera* & *bona* quidem videntur, non vero sunt, quæ solet ea, quæ non videntur tantum esse vera atque bona, sed etiam sunt.

§. XI. Accedit vero his argumentum omni exceptione majus a proprio *veri bonique sensu*, quem nemo nostrum est, qui toties percipiat, quoties cogitando circa clare atque distincte cognita vera & bona versatur. Aut nihil ego plane sentio, aut si ex mea mente etiam reliquos recte æstimem, tam impossibile est, ut quisquam clare ac distincte cognitum *verum* non summa cum libertate *adfirmet*, falsum neget, verum amet, malum vitet, quam quod unquam potest esse maxime. Non eum ego mentem, sed truncum mentis sensusque omnis expertem arbitror, qui eo se majori libertate in verum atque bonum ferri non percipit, quo minus ob claram & distinctam veri bonique cognitionem impedire potest, quo minus assentiatur vero, bonumque amet.

§. XII. Illa enim cupiditas veri atque boni, quæ nec a pervicacissimis dissimulari potest, & in maximis potissimum ingeniiis, altissimisque animis & existit maxime & apparet facillime, ita nobis ex innata Dei idea naturalis & necessaria est, ut tam eam in nobis non possimus abolere, quam ipsam mentis naturam destruere. Profecto qui non innatam sibi hanc sentit veri bonique cupiditatem, eum ego neque libertate neque ratione & mente præditum arbitror. Quod si enim accuratius iis omnibus animum advertamus, quæ a nostra mente parari atque agi solent, aut sensu omni carebimus, aut ea omnia ex hac innata veri atque boni cupiditate proficisci percipiemus. Ex infinita testium idem mecum sentientium nube paucos quosdam producam. Cicero Tuscul. quæst. Lib. I. *Natura nostris mentibus inesse, dicit, insatiabilem quandam cupiditatem veri videndi. De finibus bonorum atque malorum, eadem, inquit, natura cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi - - his initiis inducti omnia vera diligimus - - tum vana falsa, fallentia odimus. Et Tuscul. quæst. Lib. IV. Natura omnes, ait, ea, quæ bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem simul atque objecta species cujuspiam est, quæ bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura &c. Idem sentit Lactantius, quem Christianum Ciceronem vocant, quando Institut. Lib. V. Cap. I. veritatis cognitionem animæ esse pabulum, docet, incredibili quadam jucunditate*

rate perfusum. Et Lib. III. Cap. I. *Naturam*, inquit, *hominis Deus veri adipiscendi cupientissimam fecit.*

§. XIII. Elegantissime etiam Jamblichus de myst. Ægyptiorum Sect. I. Cap. 3. Τὴν οὐρανὸν θεῶν ἐμφύσιον γνῶσιν conjunctam atque unitam esse statuit τῆ δόξωδε τῆς ψυχῆς οὐρα τὸ ἀγαθὸν ἐφίεσσι. Qibus verbis nihil fingi potest & veritate & Philosopho dignius. Iis enim pulcherrime & plane ex nostra sententia hujus ipsius desiderii veri & boni, quod menti *essentiale* pronunciat, fundamentum atque rationem ex *innata Dei idea* derivat. Uti enim Deus semet ipse cognoscere non potest, quin necessario & liberrime se quoque amet: ita cum sui innata nobis omnibus idea sapientissimus creator essentialiter conjunctum voluit in mente nostra eorum omnium amorem, quæ vera & bona i. e. summis maximisque Dei perfectionibus digna essent. Quæ usque adeo vera sunt, ut & falsa & mala diligere nequeamus, nisi quando nobis vera & bona esse videntur. Itaque rectissime quicunque accuratius mentis nostræ libertatem intuentur, negant, *quæquam sponte sua vel errare vel peccare posse.* Οὐδεν δὲ μοι (inquit Maximus Tyrius λογ. λβ.) διωκτὸν, ὃ, ἢ μὴ ἀγαθόν, ἀπὸ ἀγαθοῦ φαντασία ἴο μὴ ἀγαθὸν διωκτὸν ἐν χωρᾷ ἀγαθοῦ. Et elegantissime apud Arrianum Epictetus Lib. I. cap. 26. Τί δοκεῖς, inquit, ὅτι θελῶν περὶ πῶ κακῶ, καὶ ἄπιτυχαῖνα τὰ ἀγαθὰ; μὴ γεγεῖλο. Τί εἴν ἐστὶ τὸ αἰτιῶν

τον τῆ ἀμαρτάνειν με; Ἡ ἀγνοία. Et cap. 28.
 Ἡ φύσις αὐτῆ ἐστὶ τῆ ἀγνοίας τοῖς μὲν ἀληθεῖν
 ἐπινεύειν, τοῖς δὲ ψευδεῖς δυσάρεσθαι, πρὸς δὲ τὰ
 ἀδελὰ ἐπέχειν - - - ὅταν ἐν ἡς συγκαταβῆθαι
 τῶ ψευδεῖ, ἰσθί, ὅτι οὐκ ἠθέλει ψευδεῖ συγκατα-
 βῆθαι, Πᾶσα γὰρ ψυχὴ ἀκρῶτα τρεῖται τῆ ἀληθεί-
 ας, ὡς λέγει πλατων. ἀλλὰ ἐδοξεν αὐτῶ το ψευ-
 δος ἀληθές. Nihilq̄ fere apud totum Pla-
 tonem frequentius, q̄m nos invitos & errare,
 & peccare. Omnium optime Palingenius in
 Zodiac. Scorp. seu Lib. VIII, veterum mentem
 imo ipsam veritatem sequentibus exposuit:

- - *Sapientia* (i. e. vera rerum cognitio)
nunquam
peccatum parit, at contra est inscitia ma-
ter
- Erroris, culpa & sceleris: mihi nemo vide-*
tur
- Sponte malus, vult namque bonum sibi quaque*
voluntas
- Semper, iudicio nisi falso decipiatur.*

Præstantissima verba sunt, quibus Cicero
 Acad. quæstionum Lib. V. utitur: Illi enim ne-
 cesse est, inquit, lancem in libra ponderibus impo-
 sitis deprimi, sic animum perspicuis cedere. Nam
 quomodo non potest animal ullum non appetere id,
 quod accommodatum ad naturam appareat: sic
 non potest objectam rem perspicuam non appro-
 bare,

§. XIV. Nihil vero facilius est, quam iis respondere, quæ nostræ sententiæ illi objicere solent, quia a nobis dissentiunt. Nihil vero de iis dicam, qui in mare, cum præsentem intentant omnia mortem, sponte sua ea projiciunt, quæ tamen maxime conservata vellent. Omittam etiam illos, quos usque adeo vitæ satietas cepit, ut ipsi sibi violenta manu consciscere mortem non dubitent. Manifestissime enim illis vita mercibus atque bonis externis, his mors vitæ potior videtur. Majoris videntur ponderis esse, quæ nobis a petulanter peccantibus objiciuntur, quia sæpe cum Ovid. Medea (Metam. L. VII.) *videant meliora probentque, deteriora vero sequantur.* Sed qui accuratius ad ejusmodi homines attenderit, facile sentiet, eos actionum honestatis rudem admodum atque obscuram ideam habere, ita ut ipsum *bonestum* bono *utili & jucundo* sæpe oppositum existiment. Itaque honestiora quidem ea facile largiuntur, quæ facere deberent, negant vero esse jucundiora utilioraque iis, quæ ipsi perpetrant. Adde quod in ejusmodi peccatoribus non tam virtus cum vitiis, quam vitium cum vitio, ambitio v. g. cum voluptate aut avaritia pugnent. Itaque postquam deliberarunt ejusmodi homines, utrum factius sit, iis actionibus, quæ ob externam honestatis speciem, ab omnibus in optimis haberi solent, famæ suæ & gloriæ consulere, an vero oppositis actionibus, quæ cum in vitiis habeantur, famæ ob-

obfunt, voluptatibus suis & utilitatibus fervire: Id semper necessario eligent, quod sibi melius esse statuent.

§. XV. In se igitur spectata nostra libertas constantissima & immutabilis est, neque unquam adfirmare potest, vel amare, nisi quod ipsi verum & bonum videatur, sive videatur tantum, sive revera tale sit, quale videtur: cum tamen cæco pede intellectum euntem sequatur, pro cognitionis varietate, non tam ipsa natura libertatis, quam relatio atque facies ejus externa tantum mutatur. Ita si quid menti plane incognitum atque inauditum sit, circa id neque versari potest voluntatis libertas. Quod enim latet teste Ovidio ignotum est, ignoti vero nulla cupido esse potest. Illa contra mens omnium perfectissima libertate fruitur, quæ omnes plane res cum omnibus attributis intime perspectas atque exploratas tenet. Quæ sensu cum Luthero in auro contra & gemmis non charo libello de serv. arbit. contra Erasmum, qui idem cum hodiernis Lutheri discipulis sensisse videtur, pag. m. edit. Schmid. 43. *Libertatem soli Deo propriam atque eximiam esse volumus.* Nostræ vero mentes eo propius ab hac libertate aberunt, quo cognitione sua propius ad imaginem Dei accesserint. Idcirco primis parentibus integris adhuc tam perfecta erat libertas, quam perfectam habebant rerum cognitionem. Eo vero major erit in altera vita nostræ voluntatis libertas.

bertas, quo major erit lucis atque cognitionis in intellectu accessio.

§. XVI. Mentēs vero nostræ cum ex primorum parentum lapsu ante regenerationem nil nisi *σκόλος* sint, ut Scriptura loquitur, & cum summa rerum ignoratione ita luctentur, ut falsum veri, malum boni, verum falsi, bonum mali speciem & splendorem perpetuo mentiatur: fieri non potest quin ipsa illa innata veri atque boni cupiditas, quæ mentem assidue versat atque impellit, quæque ex hac cupiditate immediate libertas est, a scopo suo aberret, & pro Junone nubem, pro thesauro carbonem amplectatur, & quin sic mentes nostræ, *propria libertate*, ut cum Boëthio loquar, *captive & servæ* reddantur. Circa ea vero, quæ ad salutem nostram in Christo pertinent, cum in iis, nisi oculos visumque Spiritus Sancti virtus restituerit, talpis simus cæciores, nihil plane potest voluntatis nostræ libertas. Regenitorum vero menti quo magis *πεφωτισμενους ὀφθαλμοῦς τῆς διανοίας* (Ephes. Cap. I. v. 18.) Spiritus Sanctus largitur: eo etiam majori libertate ea volunt, atque agunt, quæ cum & Jehovah liberatore, & salutis suæ spe atque fiducia digna sint, non possunt non ipsis optima & esse, & videri. Sed cum quoadhuc degimus, licet regeniti simus, *ἐκ μερῶς* tantum *γινώσκωμεν* (ex I. Cor. XII. v. 9.) neque semper neque ea ratione quæ deberet, mentis nostræ libertas circa verum
bo.

bonumque versatur. Quoties vero crescit re-
genitis gratiæ, & Spiritus mensura, etiam
ipsa libertas, quæ verum, bonumque com-
plecti solemus, crescit augeturque, donec tan-
dem nostra libertas perfectissima futura sit,
quando æternæ beatitudinis participes & Deum
ficati est, & in Deo omnia, circa quæ voluntas
nostra versari poterit, sicuti sunt, videbi-
mus. (b)

§. XVII. Quæ cum ita sint, nihil potest a di-
vina mentis nostræ atque rationis natura ablu-
deremagis, quam cum quidam ita ignorant volun-
tatis, libertatisque nostræ naturam, ut eam in
indifferentia positam existiment. Quæ vox in-
differentia valde obscura & *ambigua* cum sit,
pluresque obtineat significationes: nos, misis
reliquis sensibus, qui hujus loci non videntur esse,
duos tantum, quos communiter admittit, in
præsenti exponemus, ostendemusque, quam
indifferentia in nullo sensu constituere pos-

V. Fascicul.

X x

fit

(b) Quam arcte Cl. Authoris menti cum paginis
sacris conveniat ipsa historia lapsus protoplastarum do-
cet, quorum intellectus falsa boni specie corrumpi
necesse habuit, ut libere in peccatum consentiret.
Nec alia de causa Apostolus concupiscentias pravas
τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης vocat Eph. IV. 22.
Achilleus vero præ cæteris locus, qui hic neutiquam
est prætermittendus, invenitur Joh. VIII. 32: *καὶ
γινώσκειτε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθε-
ρωσεῖ ὑμᾶς*. En conceptis verbis veram animæ
libertatem a cognitione veritatis derivatam. F. A. L.

fit nostræ libertatis naturam atque essentiam. Sensus vero, qui maxime in controversiam vocari solet, is est, quod indifferentia ejusmodi significat *liberæ mentis statum, atque conditionem, ut possitis omnibus ad agendum requisitis, ut loqui amant, id est posita clara est distincta rei, circa quam volendo versatur mens, cognitione, posita quancunque Spiritus Sancti vocantis gratia, utrumque tamen vel adfirmare & negare, vel amare & odisse possit, sive verum sive falsum, sive bonum, sive malum videatur.*

§. XVIII. Quæ qui sentiunt ita mihi desperare videntur, ut nesciam an Anticyram ratio illis destinet omnem. Nulla enim sententia fingi potest ipsi rationi, & mentis sanitati iniquior, si ab hac una absurdissima discesseris. Nulla enim vis externa tanta esse potest, ut mentem cogere possit assentire rebus, quæ falsæ, & amare, quæ mala videntur; nedum ut mens interno quodam motu contra omnem suam naturam agere possit. Rectissime Epicteto apud Arrianum liberum arbitrium dicitur ἀκωλύον Φυσει καὶ ἀναναγκάζον καὶ ἀπαρσιποδισον. Facile quidem nonnullos eo adduxeris, ut propositis præmiis ea se judicare dicant vera atque bona, quæ ipsis falsa & mala videntur: mens vero illorum ut aliter sentiat, nulla alia consequeris ratione, quam si certioribus argumentis persuadeantur, non verum, non bonum esse, quod illis antea verum, bonumque videbatur. Id vero est, quod veteres toties negant

gant vinci arbitrium nostrum posse, nisi a se ipso. Adversa enim fronte & collatis, ut ajunt, signis invicem pugnant, videre aliquid vero & bono similis esse, & tamen existimare, id ad falsum malumque magis accedere. Adeo ut qui diversa sentiunt, illi ita mihi cum sui cognitione omnem rationem videantur exuisse, ut non tam rationibus atque argumentis, quam hellebori multo parte maxima illorum insaniam occurrere posse existimem.

§. XIX. Altera vocis indifferentiæ significatio est, quæ notat ejusmodi mentis nostræ statum, in quo est, cum circa res versatur, quæ ita confuse atque obscure cognoscit, ut quæ quibus ante aut postponende sint, ipsa nesciat. Sed nec in ista indifferentia nostræ voluntatis libertas potest consistere. Tum enim nos omnium liberissime agere, quando res clarissime atque distinctissime cognoscimus, ex iis constat, quæ supra dicta sunt: neque tamen unquam minus sumus indifferentes. Accedit quod ejusmodi indifferentia, quandoquidem illa ex ignorantia proficiscitur, non tam species libertatis esse possit, quam imperfectio, & impedimentum. Quomodo enim nihil tantum ad libertatem nostram confert, quantum accurata rerum cognitio: ita nihil esse potest, quod magis libertatem impediatur, quam ipsa ignorantia.

§. XX. Itaque libertas nostra tam non in ista indifferentia consistit, ut potius ipsa ratio suadeat, suspendendum, quoties fieri

possit, esse libertatis usum, si nescias, utrum
 qid adfirmandum an negandum, amandum
 an vitandum sit, donec rem accuratius c
 gnitam, rectius etiam velle possis. Arriani Epi-
 ctetus eam esse mentis naturam recte monet,
 ut adfirmet verum, falsum neget, amet bo-
 num, averseturque malum, de incertis vero
 libertatem contineat. Qod si vero alterutrum
 oppositorum necessario menti hoc sensu in-
 differenti eligendum sit, ut si viator, cujus
 terga luporum rabies, aut latronum trucu-
 lencia premit, in bivium ignarus veræ viæ in-
 cidat, libere qidem alterutram viam eliget,
 sed non qod eligendam præ altera sentiat, sed
 qod fatius esse existimet, pergere vel cum er-
 roris periculo, qam cum vitæ periculo suspen-
 dere diutius iudicium. Adeoque agit tum &
 libere eligit voluntas non qatenus indifferens
 est, (sic enim rectius non eligeret,) sed qate-
 nus non indifferens est, i. e. qatenus melius
 esse statuit pergere vel falsa via, qam cum vitæ
 periculo consistere. Reliqas species & signi-
 ficationes indifferentiæ, qas Scholastici fin-
 gunt, tales esse arbitramur, ut vel nullum in
 iis causæ momentum positum existimemus,
 aut si qod videatur, in proxime præcedenti-
 bus refutatum jam sit.

§. XXI. Exposita igitur, qantum sa-
 tis esse puto, vera libertatis nostræ natura,
 ostendendum jam restat, qam bene conveni-
 ant, & in una sede morentur & *predestinatio-*
nis

nis atque providentiæ | gratiæque vocantis ne-
 cessitas, & voluntatis nostræ libertas. Quod,
 ut consequar, præmittam harum vocum, ex no-
 stra sententia, definitiones. Per prædestinati-
 onem intelligimus hoc loco eam divinarum de-
 cretorum partem, quæ Deus per Christum in Spiritu
 Sancto eo consilio statuit homines condere, ut sal-
 va sua æterna sanctitate, & ira sua divitias in va-
 sis ostenderet καληθισμενοις εις ἀπολειαν (ad Rom.
 IX. 22.) & πλῆλον της δοξης αὐτης ἵη σκευη ἐλε-
 γε, αὶ πρηλοισμασεν εις δοξαν (ibid. v. 23.). Ex
 hoc cum Lutero & primis Lutheri discipulis
 colligimus, omnium & singulorum salutem
 exitiumque μηπω γεννηθεντων, μηδε πρᾶξαντων
 ἢ ἀγαθον ἢ κακον æterno & immutabili decreto
 constituta atque definita esse, ita ut tam non
 perire possint, quæ Christo dati sunt, quam illi
 salutem consequi, quos פֶּעַל יְהוָה לִי אֶרְעָם
 (Proverb. c. XVI. v. 4.).

§. XXII. Per Providentiam intelligimus
 illam Dei virtutem, quæ in tempore efficit, ut omnia
 pro sua tamen quæque natura necessario æterna &
 immutabili divina voluntati respondeant. In spe-
 cie vero vocationis gratia ea nobis potentissima
 Dei virtus, vel ut Scripturæ verbis gravissimis
 utar, est illud ὑπερβαλλον μέγεθος τῆς δυναμειως
 αὐτης (ad Ephes. c. I. v. 9) quod quos ἐξελεξατο ἐν
 χριστῳ πρὸς καθόλην τῶν κοσμων εἶναι ἁγίους καὶ
 ἀμώμους κατενώπιον αὐτῶν ἐν ἀγάπῃ, iis per præ-
 conium verbi ita πεφωτισμενης ὀφθαλμοις τῆς
 ἀληθειας largitur, & ita illorum καρδιαν ἀγα-

ποιει, ut non possint non γινωσκειν, ἀνακελευειν,
 και δεχεσθαι τα τε πνευμαλια τε θεου, i. e. non
 possint non regenerari, sanctificari, & ea vasa mi-
 sericordiae divinae fieri, quae ex aeterna Dei praedesti-
 natione necessario salutem & gloriam vitae aeternae
 consequantur. Unde consequitur, reliquos,
 quos εἴθετο ὁ θεος εἰς ἀγνοιαν (ex 1. Thess. c. V. v. 9.)
 ita in ignorantia & pravitate sua relinqui, ut
 non possint non peccare, & perire.

§. XXIII. Sed cum jam in eo tantum si-
 mus, ut illos refutemus, qui existimant cum
 hac nostra sententia consistere non posse vo-
 luntatis libertatem: non opus esse arbitror, ut
 cum Luthero aliisque ex ratione sana & Scri-
 ptura demonstrarem, nullam posse esse senten-
 tiam & ratione & Deo atque Scripturam dignio-
 rem, nullam cum qua plus sanctitatis, plus
 solatii conjunctum sit, si ab ea discesseris,
 quam modo exposuimus. Ut vero, quod hoc
 loco volo, consequar, probe notandum, li-
 cet ex nostra sententia ratione Dei absoluta,
 neque ab ulla externa conditione suspensa praedest-
 inatio sit, Deum tamen non absolute, &
 sine ullo medio, ut liceat uti voce in hoc sen-
 su minus Latina, mentes nostras beare, vel
 damnare. Sed εἰς πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις i. e. quos πᾶσι κατὰ
 βολην εἰς κόσμον tanquam iudex in Christo ab om-
 ni peccati culpa atque reatu liberos decrevit,
 vitaeque aeternae haeredes pronuntiavit, ταῦτα
 καὶ πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις εἰκονοῦσιν εἰς αὐτὴν
 i. e. eos etiam cum ἀσεβεις sint, destinavit re-
 stau-

staurationi ad imaginem filii sui i. e. q̄os im-
 pios in Christo absolvit Deus, & vitæ addixit,
 iisdem etiam mentis renovationem in *Ἐπιγνώ-
 σι καὶ ὁσιότητι τῆ ἀληθείας* consistentem desti-
 navit, q̄os vero & saluti, & huic novæ crea-
 tioni destinavit, eos ita Spiritus Sancti vir-
 tute vocat, ut necessario & liberrime tamen
 obediant, & justitiam atq̄ salutem consequan-
 tur. Deum recte me iudice Epictetus aut
Deum non futurum dicit, aut *ὅν δεῖ τροπον liberi*
nostri arbitrii curam habiturum. Non autem
 haberet, si mentis libertatem alia ratione cor-
 rigeret, q̄am accensa in intellectu luce: ali-
 as enim cum ratione & libertate ipsam no-
 stram voluntatem, mentemq̄ non tam cor-
 rigeret, q̄am destrueret.

§. XXIV. Quid si igitur ex præcedenti-
 bus constet, tum optime consuli voluntatis
 nostræ libertati, quando mens clarâ cognitio-
 nis luce perfundatur: q̄o majorem, magisque
 irresistibilem, ut loquuntur, illam Spiritus S.
 virtutem statues, q̄a κατὰ τὴν ἐπιγνώσιν, men-
 tem cognitione salutari imbuit, eo minus
 etiam impeditam voluntatis libertatem senti-
 es. Qo vero minorem divinæ virtuti mentis
 nostræ oculos illuminanti vim adscribes, a no-
 stra demum corrupta voluntate determinan-
 dam, eo majorem in mente relinq̄as necesse
 est cœcitatem, ignorantiamq̄, cum q̄a non

potest non conjuncta esse maximal libertatis imbecillitas atque impotentia. Hinc quo propius quis abest a Pelagianismo, eo etiam magis ea sentit, quæ libero arbitrio circa ea, quæ ad salutem pertinent, officiant. Rectissime igitur Hieronymus ad Ctesiphontem Pelagianis nobis objicientibus liberi arbitrii destructionem responderet, *Pelagianorum potius sententia veram libertatem tolli atque destrui.*

§. XXV. Quid quæso magis efficit, ut alii ipsi assentiantur, monitisque locum relinquunt, utrum ille, qui argumentis omni exceptione majoribus rem ita in aperto, illustrique loco ponit, ut nullus dissensui locus esse possit: an vero is, qui cum rem agat argumentis tanta vi destitutus, mentem in æquilibrio relinquit, ut nesciat quo se vertat, assentiaturne, an dissentiat? Profecto ille mihi omnem veri sensum cum ratione abjecisse videtur, qui non cum multo majori libertate illum sentire dixerit, quem argumentorum vis in assensum non ducit tantum antea reluctantem, sed volentem etiam trahit, atque rapit, quam eum, cujus animus cum in dubio sit, ut cum Comico loquar, paulo momento huc illuc impellitur. Ex quibus facile patet, quomodo phrasæ illæ nobiscum Luthero communes, quibus & probos necessario bene agere, cum agunt, adfirmamus & improbos male, explicandæ sint.

sint. Non enim hoc loco ejusmodi coactio intelligenda, quæ *invitam & reluctantem* mentem in transversum rapiat, sed placida illa, quam trahentem non potest non sua sponte sequi mens. Qualem coactionem illi veritatis cujuscunque testes profitentur, qui tanta cognitæ veritatis luce se perfundi adfirmant, ut cognitæ veritati testimonium publicum perferre cogantur. Idem igitur phrasæ istæ notant, ac si dicas, non posse non summa cum libertate Deum trahentem sequi, quos vitæ destinatos omnipotenti virtute vocat. Et in non regentis tantam esse illorum ignorantiam atque perversitatem, ut cum in iis, quæ ad salutem pertinent, talpâ cæciores sint, & in peccatis, ut eleganter Lutherus loquitur, sint, vivant atque moveantur, non possint non summa sponte errare, atque peccare. Recondisime igitur Hierocles de provid. Lib. III. cap. 10. Καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν τὴν προνοίαν συνεπαύει καὶ ἡ προνοία τὸ ἐφ' ἡμῖν. Ἡ δὲ ἡμετέρα προνομία εἰς τὴν δικαίαν εἰμαρμένην κερταίνει, καὶ αὐτὴ τὴν αὐτεξέσσιον ἡμῶν κινήσιν βεβαιούται &c. &c.

§. XXVI. Effeci igitur, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, ut demonstrata & libertatis & providentiæ ex prædestinatione natura, neminem jam esse posse arbitrer, quin sentiat, nostram sententiam omnium maxime consulere libertatis

nostræ arbitrio. Quæ vero longius quis ab illa prædestinationis, & providentiæ necessaria virtute discesserit, eo etiam arctioribus vinculis ipsum liberum arbitrium captum, atque constrictum tenere, ut quæ sua natura tendit, verum & bonum ea quæ deberet libertate, velle non possit. Quæ mea demonstratio, quæ eum me Achillem penitus confixisse puto, quæ quæ tantam prædestinationi, atque gratiæ virtutem non tribuunt, quantum ex ratione & Scriptura solemus, perpetuo veritatem oppugnant, utinam aliquid conferre posset ad optatam illam, diuque frustra expectatam nostræ Ecclesiæ concordiam & pacem cum illis, quos cum Lutherum sequi se adfirmant, vel invitos in fidei fratribus atque sociis habemus, licet a sanctissima Lutheri primæque orthodoxæ Lutheranæ Ecclesiæ doctrina defecisse videantur. Id quod forte aliquando, si opus fuerit, prolixius ostendam.

Tantum in præsentia.

III.

JACOBI HASAEI

de

GLOSSEMATIBUS

quorundam locorum

NOVI TESTAMENTI

Quæ textui, causa explicationis adscripta,
hinc in ipsum verborum ordinem in-
trusa esse existimantur,


DISSERTATIO.

Argumentum.

UT in scriptorum aliorum, sic & *sacrorum* libros
glossemata irreperere potuerunt. Imo, in quosdam
Codices Mscr: N. T. reapse illata sunt. Ad ea dignoscen-
da Exc: *Mastrigii* canones critici §. 1. 2. In textu
N. T. quo nunc utimur, *glossemata* viri clar: reperisse
se putant. *Judicium* hac de re §. 3. Probatur argu-
mentis generalioribus, ea, quæ censentur, *glossemata*,
neutiquam ejusmodi esse. §. 4. Examinantur ipsa loca
speciatim, in quibus hæere *glossemata* putârunt viri
docti. Marc: VII: 2. scriptores sacri sæpe *obscuras* vo-
ces Græcas, *aliis* explicant, addito τὰ ἑξῆς §. 5. Marc:
VII: 5. non, extrusa vera lectione, in ejus locum in-
replit Scholion: §. 6. Marc: X: 6. vox *ἄλλοις*
perperam pro *glossemate* habetur. §. 7. Ostenditur con-
tra

tra virum clariss: & in locis Corn. Nepotis & Plauti non esse Scholion. Plauti *Ethopoëia* in sceminarum *tautologia* & *garrulitate* notanda. §. 8. Hebr: XI: 37. frustra *glossema* continere censetur. Distinctio inter *μηλωτή* & *ἀιγαῖον δέρμα*. §. 9. Utriusque vestis hujus genere usi *Prophetae*, & *Veteres*. *μαλαωταί*. Matth: VII: 15. lux: *μῆλα* & *πρόβατα* de capris. §. 9. 10. *μηλωτή* de pelle agnina. Paulus sæpissime *phrases* & *periodos* cumulat *ejusdem* significationis. §. 11. In Marc: IX: 43, 45. non esse Scholion contra *Bezam* probatur. Et *Marcum* sæpe *phrases* jungere *ἰσοδυναμίας* observatur. Item *Johannem*. §. 12. Lucæ: II: 14. illustratur, & à scholii nota liberatur. *Lucam* pariter multas *phrases*, imò *quatuor* *ejusdem* significationis cumulare animadvertitur. An id dicendum sit *tautologiam* esse? §. 13. In *Epist: ad Philem: I: 1, 2.* frustra *Glossema* quæritur: de voce *ἀγαπητός* pro fratre vel filio. Ita fideles sub *N. T.* & *υἱοί* vocantur. §. 14. Nupera virorum summorum sententia de *glossemate* in Gal: IV: 25. §. 15. Probat- tur argumentis illic nullum posse *Glossema* ostendi. §. 16. Eruitur ratio *typi* & *antitypi* in hoc loco Pauli: & schema exhibetur *typi Abrahami, Saræ, Hagaris, Sine, Sionis, Isaaci & Ismaëlis*, ratione *antitypi*, seu *Oeconomiæ* cum *Legalis* tum *Christianæ*. §. 17. genuinus loci Gal: IV: 25. sensus: quem melius exinde fluere, quam *eraso* putativo illo scholio ostenditur; tollitur *comma* post. *Ἄρα* §. 18. Gal: IV: 26. similiter à scho- lii nota vindicatur. *Phrasis πάντες ἡμεῖς*. *Syracid. XL: 1.* emendatur. §. 19. Hebr.: XI: 37. aliud *glossema* per- peram quæritur; quid *ἐπειράθησαν*, *ἢ πειράζω* *de* *tentationibus DEI & Satanae*. §. 20. Rom: VII: 25. *εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ* est lectio genuina qua Paulus sæpe utitur. *εὐλογέω*, *εὐλογητός* §. 21. Luc: III: 36,

37. *Kainaz* non est vox *insititia*. Ille locus & Act. VII: 14. non possunt cum Hebræo textu & historiis conciliari. §. 22. Matth: XXIII: 35. XXVII: 9. scholio carent. conclusio §. 23.

S. I.  **U**i eruditorum virorum in varios scriptores utriusque linguæ animadversiones, sedula cura perlustrarunt: facile in memoriam revocabunt, sæpius eosdem monuisse de *interpretamentis* ex ipso scriptore ejiciendis, quæ, quod codicum *margini* viri docti adleverant, ab imperitis aut incautis saltem amanuensibus in ipsum *ordinem* verborum scriptoris *falso* admitta sint. Quin hoc ipsum innumeris in locis contigerit, non est quod dubitemus, ex quo id abunde tot exemplis a doctissimis viris evictum est, & pluribus, siquidem id nunc ageremus, evinci posset. De his inter ceteros egit de industria Clariss: *Clericus* in utilisimo libro de Arte Critica. P. III: Sect: 1. Cap. VII. Hoc vero *glossematum* rursus studiū eousque nupera ætate adolevit, ut & iis quibusdam in locis non immunem esse ipsum *Codicem sacrum* viri quidam summi & in rebus Criticis acrioris ceteroquin judicii, existimaverint. Neque ego adeo morosus sum, ut quidam hac ætate, quin, quod in aliis scriptis contigit, idem & in divinæ erga nos voluntatis interpre-

pretibus, contingere potuisse concedam per-
 lubenter. Eam enim non capio subtilita-
 tem, qua hic inter ceteros libros & *sacrum*
codicem distingui volunt: Quasi de ipso
codice ageretur, (quem certe omnibus præsta-
 re monumentis secularis eruditionis nemo
 negabit) non vero de ejus *codicis descriptione*.
 Quasi non *codices* sacrorum æque ac profano-
 rum scriptorum toties ab *imperitis* homi-
 nibus, & maxime Monachis utriusque sexus,
Calligraphie potius quam verborum rerumque
 studiosis, scripti & formati essent. Eos itaque
 notarios ab errore in scribendo ubique loco-
 rum iramunes facere, cum tot passim ex Mscr.
 collatione deprehendantur, hoc est pessimis
 autoritatibus plus habere fidei, quam oculis &
 rationi. Cum itaque nullo modo, quin hi ho-
 mines errare potuerint, queat vocari in dubium,
 ita cum & quando erraverint, quod res facti fit,
 id ubique locorum comprobandum est. Nam
 ipso opere plurimas glossas adscriptas fuisse
 textui N. T. quæ dein ut verus textus in ipsos
 codices Mscr. imperitia amanuensium, qui
 eas inter verum verborum ordinem posue-
 runt, irreperint, neminem latere potest, nisi
 qui nunquam Variantes N. T. lectiones ex-
 cusit. Rectissime proinde doctissimus Mil-
 lius in not. ad 1. Petri, III v. ult. & in Prole-
 gom. S. 244. censet verba vulgatæ, quæ ad-
 duntur: *deglutiens mortem, ut vita eterna heredes*
efficeremur, & in variis libris leguntur, esse scho-
 lion

lion studiosi, qui illa ex 2. Tim. I. 10. ad oram
 textus adlevit, & postea scribæ in textum rece-
 perunt. Hujusmodi plurima possent produci, si
 id nunc operæ nobis dedissemus. Vide tamen
 Clar. *Milium* ad Gal V. 23. Hebr. XII. v. 23. 1.
 Petr. IV. 13. Matth. XXIII. v. 25. & pasim.

§. II. Glossemata proinde ex margine
 in textum N. T. incuria amanuensium illabi
 potuisse facillimum in modum persuadeor.
 Imo & aliquoties in *optimis* quibusdam Codi-
 cibus reperiri non abnuo, imprimis cum ex
 uno Scripturæ loco, quod in altero deest, &
 contra, suppletur, ut magna variantium lectio-
 num non modo seges comprobatur, sed & sua æ-
 tate id jam contigisse testem luculentum habe-
 mus *Hieronymum* in Præfatione pererudita ad
 IV. Evangelia. Inde etiam nati sunt Cano-
 nes Critici XXIV. XXV. XXVI. XXVII. &
 XXXV. longe Doctissimo atque Excellentif-
 simo *Gerh. von Mastricht*, Viro non solum de
 publico suo munere, quod splendidum ipsi
 apud nos est, sed & de universo orbe litterario
 & viris litteratis immortalē in modum me-
 rito, quem DEUS grandævâ hac ætate com-
 moda senectute frui jubeat, nobisque ut eti-
 amnum diu præsidio sit, summum in modum
 rogamus. Is enim Vir Amplissimus autor
 est eorum Canonum Criticorum de varianti-
 bus N. T. lectionibus, & notarum, prolego-
 menorumque, quæ in nitida editione N. T.
 Wetsteniana Anno 1711. Amstelod, edita,

comparent, & miro acumine ingenii iudicii-
 que à Viro masculæ pietatis æque ac eruditio-
 nis summæ studiosissimo, concinnata sunt.
 Eorum vero Canonum æquitatem cum Vir
 summus in Prolog. non modo §. 123 - - 128.
 satis explicuerit, sed & in ipso opere plurimas
 Varr. Lect. ad eos exegerit, eo lectorem ab-
 legamus. Ne vero quispiam, dum glosse-
 mata in N. T. codices illabi potuisse contendo,
 continuo mihi oggerat, id si concedatur, a-
 ctum esse *de fide* ea sententia & *doctrinae capituli-*
bus; præterquam, quod satis autorum habeam,
 quos tantum hac in re posse sequi meo judi-
 cio gloriæ duco: adscribam in eorum gra-
 tiam Theologi omnium qui sunt aut fuerunt
 doctissimi, quique dari in N. T. glossemata,
 (id quod mihi tamen nondum persuasum est,)
 credidit, S. Bocharti verba egregia, quæ in e-
 jus Phalegi L. II. c. 13. legimus. *Li et eandem,*
inquit, scribis à va magis quam Scriptoribus
sacris non tribuam, non tamen inde sequitur, quod
nonnulli subinde oggerunt, actum esse de fide & doctri-
na salutis, & in ea nihil esse certi. Quis enim in aliis
ferat sic argutantem? In Livii & Svetonii cripta
quidam errores irrepsert. Ergo in historia Ro-
mana nihil est certi, & in iis quæ de Hannibale,
aut Julio, aut Augusto leguntur, nulla fides. Ari-
stotelis Græci codices sunt alicubi mendosi; Ergo quid
ille senserit de rebus Philosophicis certo scire haud
quaquam possumus. Hæc Doctissimi Theolo-
 gi, ut sedulo meditentur criticomastiges serio
 hor-

hortamur. Nihil enim æque ineptum, ac
 ubi de leviori mendo in SS. litteris aperte con-
 stat, nolle refractario ingenio illud agnoscere,
 & de universa salutis doctrina continuo clamo-
 res infrunitos illos tollere: *ilicet actum est!*
 Verum ut eos suo, sic nos nostro frui ingenio,
 patiantur.

§. III. At de singulis his *glossematum* ge-
 neribus heic quidem loci non usque adeo sol-
 liciti esse possumus, quod eorum larga seges
 examen requireret longioris anhelitus non
 modo, sed & quod id jam præstitisse amplis-
 simum Mastrigthium habeamus gloriari. De
 his vero potissimum erimus solliciti *glossema-*
tibus quæ nuperi quidam Critici, eo quod *mar-*
gini allita sint olim vocum aut phrasium *obsen-*
rarum interpretationis causa, hinc incaute ho-
 die in ipso N. T. exemplo, quo secundum
maximum multo codicum numerum *emenda-*
to utimur, putaverunt in hac eruditionis luce,
 ut aperta *glossemata*, ex ipso sacrarum literarum
 textu *eradenda*, & velut furfures à puriori fari-
 na separanda esse. Ego, qui eapropter ra-
 tionem à DEO mihi concessam credo, ut æque
 caveam, ne id, quod DEI verbum non esse
 scio, DEI verbum esse credam: ac, quod DEI
 verbum est, DEI verbum non esse velim; si-
 quando hæc & ejusmodi à viris doctis mo-
 nentur, non ita supine & fastidiose excipere
 soleo, ac quidem à multis fieri video hoc secu-
 lo

lo, qui, quo Divæ Critices minus periti sunt, eo se majores esse Theologos, mira fiducia, credi volunt: Cum tamen, ut in aliis scientiis, ita & in *Theologia*, sine Critices, quæ philosophica sobrietate temperata est, peritia, nihilum quidem quempiam sapere posse, eosque homines magis *eloquentes* esse, lejulejis ex parte similes, quam *doctos*, mihi sit longe persuasissimum. Attamen ut neutiquam contrario, ingenio critico in SS. litterarum perniciem abutendum esse, sed ad ejus usum & medicinam id accomodandum contendo: ita & in hac, quam tractamus, causa, diffiteri nequeo, me ab iis longe alienissimum esse, qui *glossemata* in eodem Codice ostendere annisi sunt. Nullum enim exemplum cum reperire potuerim, quo id à viris doctis satis probatum sit, egoque ab omni audaciori Critica nec satis fundata sim alieniori ingenio, idcirco me operæ laturum pretium arbitror, ut, quantum in his ratio viros eximios fefellerit, per singula, quæ ea de re monuerunt, eundo, aperiā.

§. IV. Prius tamen, quam ad ipsa loca accedo, monere visum est, me magno hoc argumento in contrariam sententiam permotum esse, quod ubique locorum, ubi *Glossemata* viri docti reperiunt, *constantem* lectionem eorum verborum, quæ ejicienda putant, in *omnibus* Mscr. Cod. repererint viri, qui variantes cæteroquin lectiones magno studio collegerunt.

tunt. Saltem si *unus* atque *alter* codex adest, qui ea verba non habeat, illi tamen ceteri omnes contradicunt. Quod si itaque neque tres aut *quatuor* codd. faciunt *variantem* lectionem contra alios *viginti* vel plures, juxta Can. XII. amplisissimi *Mastrichtii*; quanto minus *unus* atque *alter* Codex Can. IX. Qui *Canon*es qua æquitate gaudeant, vide in ejusdem prolegom. §. 108. sq. Quod itaque non in aliis scriptoribus ferimus, qui in SS. litteris æquo animo patiemur? Nec minus me ab illis segregem fieri jubet, quod partim eorum locorum sensus *optima* constet ratione, partim ejusmodi *similibus* passim locutionibus usos esse sacros scriptores deprehenderim, quæ, ut illic salvæ sunt, ita nec hic quidpiam adesse *viti* persuadeor. Adprime enim placent, quæ in hanc rem scripsit doctissimus Jurisconsultus æque ac SS. litterarum interpres, *Joh. Fr. Hombergk* in Parerg. Sacr. ad Luc. II. 14. Nam, ut cum *Justiniano* loquamur, *secta* nostrorum temporum hoc dicere (glossata inesse N. T. textui) religioni merito ducit. Nullo quoque argumento præterquam *sola conjectura* muniti asserere id possumus. Hac vero locum non habet, si certiora possint proferri. Age itaque, & bono cum Deo, ipsa loca examinemus, eaque quæ nunc generalius dicta sunt, singulatim confirmemus.

§. V. Marci VII. 2 habes ἢ ἰδὸς τῶν Ἰουδαίων καὶ ἑβραίων, ἢ τῶν ἀνθρώπων, ἐοικέντες. Clar. *Kuenen*
 Y y 2 *serus*

sterus, in Præfatione, quæ auctiori editioni N. T. Milliani, nitide A. clolccc. excusa Roterdami, præmissa est, de eo loco hæc monet. *Verba postrema τὸ εἶναι ἀνιπλοῖς Scholion redolere & ex margine in textum irrepisse, quilibet naris paulo emunctioris facile sentit.* Sic eodem capite v. 5. legitur ἀνιπλοῖς χειρῶν ἐδίδου, ubi idem Scholion non solum textum invasit, sed etiam archetypam lectionem κοινᾶς (quam Codd. quidam probatiores ibi retinent) extruxit. Quidam vero Codd. eo loco utramque lectionem κοινᾶς ἀνιπλοῖς male conjungunt. Oportet certe me nimis obesæ naris nec satis emunctæ esse, qui earum rerum quæ scribit adeo audacter Kusterus videre non possum veritatem. Quippe id satis novi, quotiescunque scriptores sacri quædam obscuriora proferunt, id aliis notioribus sæpius explicare consuevisse, additis vocibus τὸ εἶναι. Neque enim id solum fit cum *Hebræa* explicant vocabulis Græcis ut, Actor. I. 19. Hebr. VII. 2, Marc. III. 17. &c. Sed etiam, ut heic loci, cum obscura *Græca* explicant aliis ex hac lingua vocibus paulo notioribus. Roman. VII. 18. ἐν ἡμοῖς, τὸ εἶναι ἐν τῇ σαρκὶ μῶν. Cap. X. 6. τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν. Τὸ εἶναι χειρῶν καταγαγεῖν. v. 7. τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον τὸ εἶναι χειρῶν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. Item vers. 8 ἐγγύς σε τὸ ῥῆμα - - τὸ εἶναι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως. Vide & Roman. IX. 7. 8. Epist. ad Philem. v. 12. σὺ δὲ αὐτόν, τὸ εἶναι τὰ ἑμὰ ἀπλόγχα, προσλαβῆ. Nisi itaque & hæc diluantur, ostendatur.

daturque æque glossemata esse, & hunc Marci locum ab eo liberavimus, cujus præterea lectionem *unanimes omnium codicum consensus* metur, sine ullo in contrarium documento. Quid enim mirum, si Evangelista vocem *νομις*, quæ ex Hebraico loquendi genere, id quod *impurum* denotat, atque hinc & ea de *manibus illotis*, adeoque *impuris*, usus est ex more loquendi suorum popularium, eandem, nequid dubii hæreret quid sibi vellet, ut in re obscuriori, alia voce Græca explicuerit?

§. VI. Eandem autem de vers: 5. sententiam dudum ante Kusterum fovit ad hunc locum Magnus *Hugo Grotius*, eique adstipulatur pariter *Clar. Millius* in Proleg. ad N. T. §. 403. Reipsa viri docti non differunt ab iis qui aliter sentiunt. Utrum enim *νομις* scripserit Marcus, an *ἀνίμωσις* res eodem redit. At, cum hic de *facto* disputemus, quam scripsisse vocem Marcum probabile sit, utique tres aut quatuor codd. qui *νομις* legunt, non comparandi sunt, cum viginti & pluribus in quibus vox *ἀνίμωσις* extat. Manifesto potius hæc discrepantia indicio est lectionem *νομις* ex v. 2. huc deductam esse, & pro *equipollente* substitutam, id quod ipsum iunctæ voces *νομις ἀνίμωσις* ostendunt, quas habent codices *Lincolniensis Colleg. & Parisiensis*. Altera enim super scripta fuit primum lineæ, quam dein imperitus amanuen-

sis alteri junxit. Videtur autem omnino, quo lectoris ratio habeatur delicatioris, Marcum, ex quo vers. 2. usus erat voce *κοινωνίας* dein vers. 5. in ejus locum æquipollentem *ἀνιμίσις* substituisse.

§. VII. Marci X. 6. habemus ἀπ' ἀρχῆς κλήσεως. Antiquus Beza Codex, qui nunc Cantabrigiæ servatur, cum omiserit vocem κλήσεως, solus est atque unicus, contra quem omnes ceteri eandem agnoscunt. Miror itaque Celeberrimum Clericum in arte Critica part. III. sect. 1. Cap. VII. §. 6. vocem κλήσεως agnoscere glossema, quasi addita sit, ut melius intelligeretur ἀπ' ἀρχῆς. Sed quid sit ἀπ' ἀρχῆς satis liquet, neque ulla indiget explanatione, ut proinde glossemate hic opus fuisse nulla videam ratione. Beza enim hic optime notavit vocem κλήσεως per se hic intelligi. Ita enim & Matth. XIX. 4. legimus ne utiquam obscure hæc vocabula, sine additione κλήσεως, ut appareat, quod cum non legatur ea vox in loco parallelo, & hic ea propter a sciolo in Cod. Cantabrig. deletam esse. Salvam autem esse vulgatam lectionem, ostendunt loca, ubi eadem est loquendi ratio. Ipse Marcus XIII. 19. οἷα εἰ γέγονε τοιαύτη ἀπ' ἀρχῆς κλήσεως. Apocal. III. 14. ἀρχὴ τῆς κλήσεως τῆς Θεοῦ. Novi quidem hunc Apocal. locum ab altero sensu discrepantem esse: attamen probat κλήσεως vocem jungi cum ἀρχῆς, id

id quod heic loci tantum intendimus. Nihil itaque inter Marcum & Matthæum est discrepantiæ, præterquam, quod phrasid *ἀπὸ δεξιῶν* sit elliptica, subaudito vocabulo, vel *ἀπὸ δεξιῶν* vel *ἀπὸ δεξιῶν* aut similis *ἀπὸ δεξιῶν* *ἀπὸ δεξιῶν* autem plena sit locutio. Quod si vero omnes plenas locutiones glossematum in locum recensere velimus, & ex scriptoribus expungere, credo veterum libros vel tertiam parte mutilatum iri. Quod autem interpretes *Syrus* & *Persa* æque *κτισθεως* omittant, neutquam exinde venit, quod eam suis non legerint in Codicibus, sed quod interpretes agant, hoc est qui non verba verbis totidem, sed *sensum*, qui sine *κτισθεως* æque facilis est, exprimant. Neque enim ejusmodi versiones simili in negotio constituunt variantem lectionem.

§. VIII. Obiter observasse liceat Clericum in glossematibus, quæ ex *profanis* scriptoribus ibidem loci nobis propinat, eruendis æque ac in illo Marci infelicem esse. In loco enim Nepotis Miltiade Cap. 9. cum alii codices habeant *comitas*, alii *communitas*, prius non est *glossema* posterioris, ut censet *vir doctus* §. 7. sed quod vox *COMUNITAS* per compendium ita scripta (*COMITAS*) dein plenius exarata non sit. Plura ejusmodi exempla vitiosarum scripturarum, quæ ex ejusmodi litterarum

compendiis natæ sunt, exhibet doctissimus
 Jureconsultus *Guil. Best*, in L. qua rationes
 emendandi leges Juris Civilis exhibet. Neque
 etiam apud Plautum in Aulul. A. IV. VII.
 14. seq. glossema reperio cum viro clar.
 S. 5. & aliis æque egregiis hominibus.
 Ita enim istic Eunomia mater ad filium
 loquitur.

*I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem
 mecum,*

Ut istuc quod tu me oras efficiam tibi.

Ut istuc quod me oras impetratum auferam,

Medium versum ut Scholion irrepfisse pu-
 tat Vir Cl. quem adleverit Grammaticus mar-
 gini, quo verbis notioribus *efficiam tibi* ob-
 scuriora in altero *impetratum ab eo auferam* illu-
 straret. Sed, quo minus Viro docto adsen-
 tiri possum, facit primo, quod hic versus, quem
 insititium censet, metro constet suo. Est enim
 Jambicus senarius.

Ut is|tuc quod| tu me o|ras ef|ficiam| tibi.

Quis vero unquam exemplum protulit, aut
 norit, Scholiasten verba Scholiorum metro
 coërcuisse? Dein miror, viros doctos non
 animadvertisse in his verborum eorundem re-
 petitionibus latere elegantem *ethopæiam*, qua
 Comicus *mulierum* quarundam, false perstringit

git ineptam loquacitatem, quâ uti solent sæpius eadem dicendo iisdem aut aliis modo verbis sine ulla rerum varietate. Ita sane Eunomiam mulierem ex decoro introducit eum in modum tautologice loquentem. Hoc ipsum & primus versiculus ostendit, ubi *mecum* frustra bis occurrit. *I mecum*, ad fratrem *mecum*. Hujusmodi Ethopœias exempla eleganter admodum notavit Vir Amplissimus atque Eruditissimus *Frid. Christianus Neubour* in pereruditis annotationibus ad quædam N. T. loca, quæ in Fasc. III. hujus Bibliothecæ reperies, Art. 2. p. 249. Et, ut nostræ conjecturæ fidem habeas, audi quomodo ipsa Eunomia A. II. Sc. I. vl. 4. suam & aliarum sui sexus loquacitatem, excuset.

*Haut falsa sum, inquit, nos odiosas haberi,
Nam multum LOQUACES merito omnes
habemur,*

*Nec MUTAM profecto repertam ullam
esse*

Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.

Ubi rursus nota mulieris tautologiam in *ullam* & *ulla* vocum repetitione. Item in seqq. vers. *te, me, me, te, tecum, mecum, tuam, meam* &c. Nemo enim est, opinor, ex universo Comicorum grege, qui æque mulierum garrulitatem & βαρολογίαν risui exhibeat, ac quidem Plautus. Ex quo enim

Υ y §

mu.

mulier in Cistellar. I. l. i. sq. confessa esset sui
sexus nimiam *largiloquentiam*, quia res silen-
tio tegenda esset, quod mulierculæ erat ἀδύ-
νατον, addit vs. 7. sqq.

*Quia ego nunc, quia sum onusta mea ex sen-
tencia,*

*Quiaque ego nunc me complevi flore Liberi,
Magis libera uti lingua collibitum est mihi.
Tacere nequeo misera, neque tacito usus est.*

Præter varias phrasas æquipollentes obser-
va repetitionem vocum, *quia ego, quia ego,
quiaque, ut & liberi, libera, tacere, tacito &c.*
Etiam quod addat sibi *non tacito usum esse*, & re-
colat memoria unusquisque, an unquam in
mulierum Bibliotheca TACITUM repererit?
Sed ne videamur in re seria velle histrioniam
exercere, aut nimis extra oleas vagari, eho-
dum, ad Glossemata N. T. revertamur.

§. IX. Hebr. XI. 37. de Prophetarum
sub V. T. misera vita legimus inter cetera, quod
ἐπιήλθον ἐν μηλωταῖς ἐν αἰγείοις δέρμασιν. Clar.
Kusterius citato in loco proleg. ad Millii Ed. N.
T. vult ἐν αἰγείοις δέρμασιν esse procul dubio
Scholion atque interpretamentum præceden-
tis ἐν μηλωταῖς. Cujus rei hanc exhibet ratio-
nem, quod Hesychius doceat v. μῆλα eam
vocem dici de *quadrupedibus* quibusvis, præ-
cipue vero de *ovibus & capris*. Unde conclu-
dit

dit μηλωτήν & αἰγέιον δέσμα esse unum idemque, posteriusque tanquam *clarius* prioris ut *obscurioris* esse interpretamentum. Hæc, si vel ad Aristophanem scripsisset Vir doctus sine ullius Codicis autoritate, qui posteriora *omisisset* vocabula, quis æquo tulisset animo? Sed & ante Kusterum idem jam censuisse videtur Vir doctus ad Pollucis Onom. L. X. §. 176. Ubi hunc locum citans, addit, *quæ posteriora sane vocabuli prioris interpretatio sunt.* Quanquam & de interpretatione scriptoris *ipsius* non scholiastis hæc verba capi possint. Ut sit, priori certe sententiæ non modo *unanimis* Codicum Mscr. *consensus*, sed & ipsa rei ratio adversi sunt. Αἶγας quidem & nomine μῆλων complecti non nego. Neque enim solum hoc docet Hesychius, sed & Callimachi Scholiastes, qui H. in Apollin. v. 50. scripsit: ἐξ αἶγας μῆλα λέγουσι, citans hanc in rem nobilem Homeri locum, quem cum aliis adduxit ad id ipsam comprobandum exemplis, illustr. Spanhemius ad vs. 52. Sed an Vir doctus μῆλα ab αἶξι cum *junguntur*, distingui, ignoravit? Porro in μηλωτήν hic subauditur vocabulum ἐδάης, denotareque videtur ab αἰγείοις δέσμασι distinctum *vestimentum*, ex ovium lana paratum eaque *villosa* admodum & *hirsuta*; At αἰγέιον δέσμα, quæ plena locutio, esse ipsam caprarum *pellem*, quæ una cum *villis* humeris injiciebatur. Quanquam etiam μηλωτήν erat non modo ex *ovium* sed & *caprarum* aliorum. que

que animantium pilis confuta, quemadmo-
 dum ejusmodi vestimento *ἀπὸ τριχῶν καμήλας*
 ulus est Baptista Johannes Matth. III. 4. Una-
 quæque igitur vestis *pellicea* erat & *villosa* ut
 plurimum; sed non omnis villosa *pellicea*.
 Hæc de *utroque* genere vestimentorum hæc
 loci explicationi eo potius locus conceden-
 dus est, quo magis constat *utriusque* generis
vestibus usos esse *Prophetas* & *pios viros* tempo-
 re legalis œconomix. *Μηλωτήν* quippe habu-
 it *Elias* I. Reg. I. 8. & II. 8. I. Reg. XIX. 13, 19.
 quibus ultimis in locis diserte illud vestimen-
 tum ab Alexandrinis vocatur *μηλωτή*. Idem
 postea, simulatque *Elias* in cœlum raptus es-
 set, hæreditario jure ab eo ex aère missum a-
 deptus est *Eliseus* I. Reg. XIX. 13, 14. Ubi
 æque in Græca versione *μηλωτή* appellatur.
 Alias & vestes *villosæ* Græcis à *μαλλοῦς* diceban-
 tur *μαλλωταί*. v. *Pollucem* L. VII. §. 57. E-
 jusmodi etiam erat vestis *Esaie*, quam *σάν-
 κων* vocant Alexandrini. Verum æque & *Pro-
 phetæ* *ἀγείοις ἰδέρμασιν* induti incedebant seu
caprarum aliorumque animantium *exuvias*, ut
 ex *Zachar.* XIII. 4. apparat, ubi hoc vestimen-
 ti genere falsos *Prophetas* veros *imitari* volu-
 isse innuitur. Ita & accipio quod *Christus*
 dicit de *Pseudoprophetis* Matth. VII. 15, eos
 incedere *ἐν ἐνδιμασιν περὶβάλλον* non solum alle-
 gorice, sed & litteraliter allusione facta ad
mores eorum qui se *Prophetas* tum temporis
 jactitabant, eaque propter se *ovium velleribus*
 &

& *caprarum* circumvestire consueverant, ex ve-
 eris verorū Prophetarum vestitus imitatione.
 Nam nomine *θεβάτων* & *capras* aliaque ani-
 mantia Græcos intellexisse docet Spanhemius
 citato loco ad Callimachum. Dicuntur hæ
 vestes *δοραὶ αἰγῶν* *pelles caprarum* à Theognide
 vers. 55. Atque hoc *pelliceum* genus vestium
 ut *simplicissimum*, ita & *antiquissimum* fuit. Nam
 primo hominum pari id ipse DEUS formavit,
 Genes. III. 21. Hanno, Carthaginiensium
 Imperator, scriptor vetustissimus, ait se in
Africa reperisse p. 3. post Cernem insulam jux-
 taris Atlantici littora, ὄρη μέγιστα μεσὰ ἀν-
 θρώπων ἀγρίων, ΔΕΡΜΑΤΑ ΘΗΡΕΙΑ ἐνημμένων,
magnos montes a sylvestribus hominibus habitatos,
qui PELLIBUS FERINIS erant induti. Sed
 ad hunc locum hujus antiquissimi scriptoris,
 pluribus de hoc vetustiori ritu sermocinandi
 dabitur occasio. Decrevimus enim, DEO
 propitio, illud vetustissimum antiquitatis mo-
 numentum, nostris qualibuscunque obser-
 vationibus reddere illustrius.

§. XI. Diffiteri tamen nequeo & *μηλω-*
τήν subintellectâ voce *δορῶν*, aut simili, in-
 dicare *ovium pellem*, adeoque & metonymice
 vestimentum ex *ovium pellibus*. Pollux autor
 est L. X. §. 176. εἰποῖς δ' ἂν καὶ ΜΗΛΩΤΗΝ
 τὴν τε ΠΡΟΒΑΤΟΥ ΔΟΡΑΝ Φιλήμων εἰπόντος
 ἐν Εὐείπῳ. Στεῶμα μηλωτὴν τ' ἔχει. Hoc est:
μηλωτὴν quodque vocabis ovis pellem secundum
Phi.

*Philemonem in Euripo: Stragulam habet & agni-
nam pellem. Sic & Cap. XLVII. quod de lo-
toria pelle aliisque agit. §. 181. refert Phere-
cratem in Hipponē αὐτὴν vocasse pellem agni-
nam ἀπὸ τοῦ οὐνοῦ ab ove, quam alii appellant
μηλωτήν. Pariter & Glossæ, quas ad hunc
locum citat Doctissimus Kühnius, μηλωτήν
explicant per pellem lanatam, quæ nondum
sua lana privata est. Quod si proinde Viris
doctis largiamur μηλωτήν & αἰγείον δέρμα esse
Synonyma, neutiquam tamen eo ipso compro-
batum est, alterum esse in loco controver-
so alterius *glossema*. Sæpissime enim Scriptu-
ra phrasæ æquipollentes, explicationis causa,
ex consuetudine inter Judæos Hellenistas lo-
quendi more, jungit. Uti alios Scriptores
sacros iis gaudere dein §. sqq. ostenturi su-
mus; ita hic Paulum iis frequentissime con-
glomeratis delectari, annotemus. Rom. V.
vers. 15, 16, 17, 18, 19. unus & idem sensus
est in singulis versibus. Quod enim in alio de
morte & vita dicitur, id in aliis de iudicio, con-
demnatione atque justificatione, quæ non sensu,
sed verbis differunt, neque alia ratione ac an-
cedens & consequens. Elegantissime hoc vidit,
Celeberrimus, nobisque amicissimus Juris-
consultus Job. Frid. Hombergk in Par. Sacr. ad
vers. 16. Idem, quo id sæpe in Paulo atten-
damus egregie monet ad Ephes. II. 15. Maxi-
me, inquit, familiare est Apostolo, quod nun-
quam satis observatum, ut pluribus verbis, phrasi-
bus,*

bus, imo & integris periodis utatur ad eandem rem
 exprimendam. Eph. VI. locus est clarissimus
 vers. 19. ἐν ἀνοίξει τῆς σωματός μου, ἐν παρρησίᾳ
 γινώσκω τὸ μυστήριον. κ. τ. λ. παρρησίαν esse in
 sacris literis idem quod libera ἀνοίξεις τῆς σωμα-
 τός quis est qui nesciat? Ita autem locum
 interstinguendum esse, deleto post παρρησίαν
 commate, idem Vir egregius vidit elegantif-
 sime. Observa præterea has phrasas sine copula
 junctas, nostris, de quibus lis est, pares esse,
 ut ἐν ἀνοίξει, ἐν παρρησίᾳ, sic ἐν μηλωταῖς, ἐν
 αἰγίοις δέρμασι. Sic & Cap. IV. 14. ἐν τῇ κυβείᾳ
 τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς ἴην κ. τ. λ. ubi
 rursus phrasas ἰσοδυναμεῖσαι videndusque rur-
 sus illic nunquam satis laudatus Hombergius,
 Rom. IX. 1. ἀλήθειαν λέγω ἐν χριστῷ, & ψέυδο-
 μαί. Imo quatuor locutiones ejusdem signifi-
 cationis jungit Philipp. II. 2. (1) ἵνα τὸ αὐτὸ
 φρονῆτε, (2) τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, (3) σύμ-
 ψυχοι, (4) τὸ ἐν φρονεῖτε. Qui negat hæc
 singula sensu convenire, is explicet, quamnam
 distinctio sit, & profecto non magnus sed
 maximus erit Apollo. Pariter Cap. III. vers.
 9. δικαιοσύνη καὶ πίσεως χριστῷ eadem est quæ
 δικαιοσύνη ἐκ Θεοῦ Ἰησοῦ τῇ πίσει, nisi quod alia
 sit verborum ordinatio, & pro χριστῷ posi-
 tum Θεός. Itidem & vers. 16. τὸ αὐτὸ σιχηῖν
 κανόνι, idem est quod τὸ αὐτὸ φρονεῖν, ut vel
 lippus videat. Plura exempla videbis, si con-
 sules notas Hombergii nostri ad Rom. VI. 6.
 VII. 6. Ephes. VI. 19. qui id ipsum magna
 cum

cum eruditione & ingenii acumine Theologos docuit. Atque ita Paulum ex Paulo illustravimus. (a)

§. XII.

(a) Si mea hic liceat exponere animi sensa, difficiliorem me aliquanto in admittendis synonymis ad eandem rem exprimendam a Scriptoribus sacris conglomeratis esse profiteor: timens, ne majestati styli, ex inspiratione immediata Spiritus Sancti proficiscentis, inde aliquid decedat: in qua causa verecundiae meae a Viris Doctissimis me veniam facile impetraturum spero. Quare lubentissime acquiescerem in iis, quae Vir Clarissimus §. 10. notavit, si probatum esset, ΜΗΛΩΤΑΣ pro vestibus ex pilis contextis ab idoneis authoribus passim usurpari, quas veteres $\sigma\acute{\alpha}\nu\kappa\kappa\epsilon\varsigma$ seu $\sigma\acute{\alpha}\nu\kappa\kappa\epsilon\varsigma$ vulgo appellabant. Nec vereretur revocare, quae ipse olim in contrarium dissert. de Jesaia nudo Sect. I. §. 7. notavi. Quamdiu autem de eo non constat, puto ad Synonymiam in nostro loco destruendam sufficere, $\mu\eta\lambda\omega\tau\alpha\acute{\iota}$ ovinas praecise designare pelles, quod erudite Cl. Author evieit: quoque praecipue tunc necessarium est, quando a caprinis diserte distinguuntur, uti in textu nostro fit. Sed quid si per $\mu\eta\lambda\omega\tau\alpha\acute{\iota}$ intelligeremus vestes ex pellibus in hunc usum praeparatis confarcinatas, per $\delta\acute{\epsilon}\rho\mu\alpha\tau\alpha$ vero $\alpha\acute{\iota}\gamma\epsilon\acute{\iota}\alpha$, pelles crudas, magnam corporis partem nudam reliquentes, quales Lupercalibus per petulantiam gerebantur, usui alias incommodas, nec nisi in durissima necessitate adhibitas. Sic sane eleganter Apostolus ab superiori vitae genere ad asperrimum ascenderet. Diversas quoque procul dubio personas respexit. $\mu\eta\lambda\omega\tau\alpha\acute{\iota}$ erant Prophetarum. Id extra dubium: & egregie Cl. Author probavit. Nec tamen mera $\delta\acute{\epsilon}\rho\mu\alpha\tau\alpha$ seu pelles inconsuta iis adscribuntur. Hic habitus agrestium & durissime viventium fuit, Hinc

§. XII. Nunc adoriendus mihi est ve-
nerabilis *Beza*, qui, cum Marc. IX. 43, hæc
legantur ἀπελθῆναι εἰς τὴν γένναν, εἰς τὸ πῦρ
ἀβελρον, hæc in notis subdit: *Syrus interpres*
V. Fascic, Z z ni-

heroes ferarum pellibus textit antiquitas. Tales
sine dubio & inter fideles V. T. fuere, Deo noti,
licet scriptura de iis taceat. Et hoc sufficit ad tol-
lendam in loco nostro synonymiam merum pleonas-
mum spirantem. Ad reliqua, quæ Cl. Author ad-
duxit loca, multa moneri possent. Liceat autem
mihi in illo uno hæcere, ne observatiunculæ limités
exedam, qui tanquam Achilles a Viro Clarissimo
consideratur Phil. II. 2. cujus verba ita se habent:
ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες,
σὺμψυχοι, τὸ ἐν φρονεῖντες. Ego sane ignoran-
tiam meam fateri malletm, quam quatuor harum phra-
sium eundem sensum statuere. Quantillum enim id
a muliercularum Plautinarum loquacitate, quam ele-
gantissime Vir πολυμαθὲς αἰετῶς expresit, distaret?
Mihi vero videtur Apostolus in particulis αὐτὸ, σὺ & ἐν
elegantissimam climacem observare, atque tres gradus
unionis fidelium inducere. Primus gradus duabus
phrasibus exprimitur per τὸ αὐτὸ φρονεῖν, καὶ τὴν
ἀγάπην ἔχειν, quæ ita sunt inter se nexæ, ut di-
versas tamen animæ facultates respiciant, quia
τὸ φρονεῖν intellectui, & τὸ ἀγαπᾶν voluntati
proprium est. Quamvis enim φρονεῖν aliquando
latius sumatur, quod in ipsa quarta phrasi textus hu-
jus admittimus, hic tamen ubi ab actu voluntati pro-
prio distinguitur, ad solum intellectum spectat.
Τὸ αὐτὸ vero, recte notante Cl. Coccejo, hic idem
est, ac τὸ ἴσον, Unde vers. 20. has duas phrasés una

nihil addit post *geenna* vocem, & certe videtur, istud esse illius explicatio qua fortassis ex albo libri in ipsum contextum irrepfit. Fateor me hic desiderare cum iudicium tum eruditionem Bezae, ex cuius ceteroquin egregii viri annotationibus me

voce *ισόψυχοι* exprimit. Aequales ergo facultatum animae utrarumque habitus Apostolus praecipit. Sed possunt esse aequales, qui tamen nullo hactenus amicitiae vinculo cohaerent. Arctior ergo unionis gradus est, si qui idem objectum, similesque intellectus & voluntatis qualitates habent, etiam, sint *σύμψυχοι*, id est vinculo quodam spirituali, non corpora sed animas colligante, inter se nexi. Plus sane est *σύμψυχοι*, quam *ισόψυχοι εἶναι*. In hoc gradu constituti, ulterius ad ipsam *ἐνότητά* contendere debent. Haec *ἐνότης* ultimus communionis fidei in Christo finis est, cuius quidem initia in terris gustant, qui postquam *σύμψυχοι* facti sunt, semina omnia novi dissidii indefesso studio exstinguunt, sed complementum in caelis demum adipiscentur Joh. XVII. 21. 22. Ingens in hac unitate latet mysterium, cuius prototypum est in ipsa SS. Triados unione. Latius eam per partes Apostolus tractat Ephes. IV. Defluxit aliquid ejus ad ipsos gentilium Philosophos, praesertim Pythagoreos. Sed id explanare hujus non est angustiae. Hoc UNUM meditari, ad hoc remis velisque *Φερὸς* contendere singulos fideles fas est, tanquam verum & inestimabilem *συμψυχίας* fructum. Salvo haec honore, quem Viro Clarissimo debeo, salvoque, quo gaudeo, amicitiae jure, *ἐν παράδω* monenda duxi: palmam eruditionis, uti in reliquis, ita hic quoque, meliora docenti quam lubentissime porrecturus, F. A. L.

me plus in SS. literarum cognitione profecisse quam ex maximis aliorum voluminibus, gratissimo animo agnosco. In hac enim causa *Syrus* interpres in partes non potest vocari, qui ut interpres, neutiquam ubique solet locorum phrasés ejusdem significationis junctas exprimere *singulas*: conf. §. 7. Idem de versione *Coptica* esto judicium, quæ v. 45. eadem inexplicata reliquit verba. Quid enim hî contra omnium codicum Græcorum *unanimem* in *contrarium* auctoritatem? Ne dicam hunc *Bezæ* codicem tantopere perperam ab eo laudatum omnium esse longe *vitiosissimum*, quique sæpius a viris doctis eapropter rectissime atro lapillo notatus est. Millium consule peritissimum hac in re virum, ad Luc. III. 36. & passim: conf. etiam exc. *Mastrigii* Proleg. ad N. T. §. 36 - - 40. Adde vero, quod eadem etiam verba vers. 45. legantur. Tum, quod ea quæ vers. 43. & 45. binis phrasibus exprimuntur, dein vers. 47. unica *γέεννα τῆ πύλῃς* efferantur. Porro observa & *Marcum* æque ac *Paulum* plures *ejusdem* significationis locutiones iisdem in locis consulto conglomerasse. Cap. II. 19. *non possunt filii sponsi, sponso presente, esurire*: statim sequitur: *quando secum (filii sponsi) habent sponsum, non possunt esurire.* Quo, rogo, acumine, inter utramque periodum reperires vel ullam discrepantiam? Interpretes multos eam reperisse novi, ut censent. Sed illi sæpius vident geminum so-

lem & duplices Thebas. Adde Cap. XI. 28. ἐν ποία ἐξουσία ταῦτα ποιῆς; καὶ τίς σοι ἐξουσίαν ταύτην ἔδωκεν ἵνα ταῦτα ποιῆς; XII. 23. ἐν τῇ ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι. vers. 44. πάντα ὅσα εἶχεν, ὅλον τὸν βίον *omnia enim quæ quis possidet, est ὅλος βίος.* Luc. XXI. 4. ἀπάντα τὸν βίον ὃν εἶχεν exprimit. Plura ejusmodi sedulus lector ea de re monitus facile observabit. Confer tamen & Joh. I. 7. & XI. 4. ubi phrasēs ἰσοδυναμεῖσαι quæ illic occurrunt, plane illi respondent Marci ἐν τῇ ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι. Adde Joh. I. 20. ὡμολόγησε, καὶ εἶπεν ἡσυχάτω, (b)

§. XIII.

(b) Ad hæc quoque loca, uti & §. statim subsequens, integrum esset multa excipere. De ultimo expresso, si Deus volet, ad Johannis Evangelium commentaturus scribam, & docebo, additamentum hoc singularem habere emphasisin, ut & parrhesia Johannis in præsentissimo confessionis periculo, & in confessione constantia declaratur. Porro τὸ πῦρ αἰσβεσον Marc. IX. 43. neutiquam pro synonymo, sed pro ἐξηγητικῷ habeo. Cum enim infernus Gehenna a Salvatore dicatur, ex more Judæorum & cum allusione ad *vallem Hinnon*, statim subjungitur mentio ignis, ut indicaretur illud, in quo vallis Hinnon præcise infernum adumbrare poterat, esse ignem illum feralem in quo infantes peribant, tanquam emblemata cruciatuum a Dæmone inferendorum. Ut vero supplicium hoc in Gehenna mystica perpetiendum eo magis exaggeretur, dicitur ignis αἰσβεσος; quæ expressio æternitatem poenarum infernalium egregie adstruit. Quod vero ad locum §. sequenti docte il-

§. XIII. Lucæ II. 14. reperimus bre-
 vem Angelorum DEUM ob Christi Sospi-
 tatoris nostri nativitatem laudantium hym-
 num: *Gloria in excelsis DEO*, ἢ Ἐπι γῆς εὐχὴν,
 ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Non licet nec libet nunc
 omnes circa hujus loci sensum difficultates ex-
 planare. Id tantum volo Ἐπι γῆς εὐχὴν plane
 idem esse, quod ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, non
 quidem quoad verba, quod frustra objicere-
 tur, sed sensum. In γῆ enim latet figura con-
 tinentis pro contento, & in altera phrasi sunt
 ἀνθρώποις sine schemate. Dein cum pax est

Zz 3

tunc

Instratum ex Luc. II. 14. attinet, nihil, ut existimo,
 absurdi, nihil coacti textui huic infertur ab iis, qui
 τὸ ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία pro subiecto sententiæ
 Angelicæ agnoscunt. Sed nolo amplius viro erudi-
 tissimo obstrepere meis nugis. De eo illi procul du-
 bio mecum convenit, stylum sacrum non ad regulas
 Critices humanæ commensurandum esse. Emphasis
 ejus omnes eloquentiæ humanæ vires excedit. Nec
 mirum. Spiritus sapientissimus uniuscujusque li-
 terulæ & apicis author est. Quin res ipsæ verbis
 Scripturæ indigitatæ sapientiæ humanæ limites lon-
 gissimo intervallo relinquunt. Quare & sublimitas ve-
 ritatum & majestas vocum a Deo inspiratarum pari
 passu ambulant. Utraque mediocritatem ingenii
 nostri transvolant. Unde invitus ab ejus sententia
 de tautologiis sacrae Scripturæ discedo, non nominis,
 sed rei ipsius odio. Tautologia, ut commodissime
 definiat, est supervacua vocum idem significantium
 repetitio. Deus vero uti nihil frustra facit, ita nec
 dicit. F. A. L.

tunc & adest tranquillitas & beneplacitum. Ἐιρή-
 νη est antecedens & εὐδοκία consequens. Atque
 ita locus ille, meo iudicio, interpretandus
 est. Alios enim, qui hæc distinguunt, mit-
 to, quod ne quidem intelligere possim quid
 sibi velint, ut sæpe mihi accidit cum inter-
 pretes nimis iusto sunt subtiles & acuti. Sed
 quod huc maxime facit, disco ex Clar. Hom-
 bergii ad h. l. annotationibus eundem Beza
 ad Marc. IX. 43. & 45. hæc notasse: *ultima il-
 la verba ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία a paraphraste quo-
 dam in margine posita ad explicationem primum,
 postea in textum irrepisse.* Unde & hunc locum
 inter illos merito retulimus, qui *glossematum*
 postulati sunt. Sed, fateor, me in mea edi-
 tione annotationum Bezae, quæ Genevæ A.
 clo Io XCIV. prodierunt, hæc istic locorum
 non reperisse, imo ne vestigium quidem,
 neque vel in notis ad hunc ipsum textum.
 Oportet itaque quo hæc legantur in prioribus
 Bezae editionibus, quas sæpius per δευτέρας
 φρονίδας edidit castigatioris incomparabilis
 Theologus. Idem vero Doctissimus Hom-
 bergius, qui audacior hanc Criticam e-
 gregie confutavit, variaque exempla phrasi-
 um *eiusdem* notionis sibi *junctarum* exhibuit
 ex SS. Scriptoribus, nos eo nunc onere le-
 vavit. Addamus tamen iis quædam loca ex
 ipso *Lucæ* in rei majorem lucem. Actor. XIII.
 11. ἔση τυφλὸς, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον. & XIV.
 8. (1) ἀδύνατος τοῖς ποσὶν ἐκείνητο, (2) χωλὸς
 οὐκ

ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτῶν ὑπάρχων, (3) ὅς ἐδέποτε
 εἰσπεπατήκει. Luc. I. 20. (1) ἔση σιωπῶν,
 (2) καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι. Id. vers. 22.
 exprimitur unica phrasi. Conf. & vers. 64.
 Attende & ad hæc ejusdem Evang. Cap. XVIII.
 vers. 34. (1) καὶ αὐτοὶ ἐδὲν τῶν συνῆκαν, (2)
 ἐν τῷ ῥήματι τῷ κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν (3) καὶ
 οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα. Præterea & Cap.
 XX. 2. qui parallelus est illi quem §. 12. ex
 Marc. XI. 28. adduximus. Item Cap. XIX.
 43. (1) καὶ πεβαλῶσιν οἱ ἐχθροὶ σε χάριτά σου,
 (2) καὶ πεκλυκλώσουσί σε, (3) καὶ συνέξουσίν σε πάν-
 τοθεν. Adde & Actor. III. 8. Tantum itaque
 abest, ut, sicubi duas phrasas ejusdem sensus
 apud Scriptores sacros reperimus, *glossematum*
 id in numerum habendum sit, ut contra ex
 aliis testimoniis de loci γνησιότητι possumus esse
 plane persuasissimi. Si vero regerat quispi-
 am, ita *tautologiis* usos esse sacros Scriptores
 concedi debere; Respondemus, id dicere
 neutiquam *ab ipsa re alienum esse*. Neque enim
 hoc seculum adeo ineptum est, ac quidem
 prius, ut stylum sacrorum Scriptorum ad il-
 lum Ciceronis & Demosthenis exigere velit.
 Illi sane sublimitatem styli sacri non capie-
 bant. Si quis vero vocem *tautologiae* respuat,
 rem aliis exprimat verbis, per me licet. Imit-
 tetur Stoicos qui *morbos & cruciatos* non ipsis
 eorum nominibus, sed *mitioribus interpretati-
 onibus* circumscribebant. Neque enim de
vocibus litigo, dummodo de *re ipsa*, quæ ne-

gari nulla potest ratione, constet. Dicat itaque eos explicuisse idem alia phrasi &c. nobis hoc perinde erit. Si quis vero ex profanis etiam Scriptoribus hujusmodi exempla desideret, adeat Cl. Bos nuper defuncti, Exercit. in N. T. ad Luc. I. 20,

§. XIV. In Epist. ad Philem. v. 1. scribit Paulus Φιλήμονι ἰὼ ἀγαπητῷ & v. 2. Ἀφία ἡ ἀγαπητῆ. Quidam Codd. loco ἀγαπητῷ & ἀγαπητῆ habent ἀδελφῷ & ἀδελφῆ ut & antiquæ nonnullæ versiones, etiam Hieron. qui utrumque junxisse putatur, *fororū charissime*. Exinde concludit Celeb. Millius, non solum in notis ad h. l. sed & in Proleg. ad N. T. §. 1292. ἀδελφῷ & ἀδελφῆ esse voces genuinas, illas vero quæ nunc extant ibi, *Scholion* esse, quod ex margine tractum, lectionique veræ (ut putat ille) asfutum, in plurimis Codd. locum veræ lectionis occupasse. Imprimis hoc exinde concludit, judicasse possessores illorum Codicum, Appiam, Philemonis uxorem, incommode dici ἀδελφῆν. Sed, addita ultima ratio nulla est. Quis enim ignorat illos, quos ad Christi fidem adduxerant Apostoli, vocari ἀδελφῶς & ἀδελφῶς. Hinc certe Onesimus servus vers 16. est ἀδελφὸς ἀγαπητὸς ut & ipse Philemon vers. 7. & 20. ἀδελφός. Sic & mulieres ἀδελφαί. 1. Cor. IX. 5. VII. 15. Rom. XVI. 1. & passim. Qui itaque ἀδελφῆ

φῶς expungi potuerit, ejusque loco ἀγα-
 πῆ reponi ea de causa, non video; Tam
 audax qui id correxerit, neutiquam tam im-
 peritus fuerit necesse est, quin noverit mu-
 lieres, quæ ad Christi doctrinam accesserunt,
 vocari ἀδελφαί. Dein, pro vulgata lectione
 multo major & quarto tanto auctior pugnat
 numerus Mscr. Codd. Neque etiam in re
 ipsa est discrepantia. In ἀγαπητῶν enim at-
 que ἀγαπητῆ, quæ sunt adjectiva substanti-
 ve posita, subaudienda sunt vocabula ἀδελ-
 φῶν & ἀδελφῆ. ut Matth. XII. v. 18. Hinc
 concludimus potius contrario in quibusdam
 codicibus *postremas* voces margini fuisse ad-
 scriptas, & hinc extruso ἀγαπητῶν ut igno-
 tiori in textum eorum Codd. irrepisse; Ex
 enim possunt esse glossemata, quia *clariora*
 sunt multo vocabula, quam altera. Ex quo
 & hoc apparet ἀγαπητῶν ut *obscurius* neuti-
 quam posse glossema esse ἀδελφῶν ut *notioris*.
 Quis enim explicaret *notiora* per *obscuriora*?
 Quominus etiam de concinnitate vulgatæ le-
 ctionis dubitare possumus, facit, quod pas-
 sim Apostoli in blandis erga fideles allocu-
 tionibus utantur voce ἀγαπητῶν ut. 1. Joh.
 III. 2. 1. Tim. VI. 2. & sæpius. Ibi autem
 ut hic vel subaudienda est vox ἀδελφῶν vel
 υἱῶν *filiorum*, uti plene dicitur υἱὸς ὁ ἀγαπητὸς
 Matth. III. 17. Luc. XX. 13. &c. Eosdem
 quippe qui ἀδελφοί dicuntur, τέκνα & υἱὸς
 appellari Philem. v. 10. 1. Tim. I. 2. 2. Tim.

I. 2. II. 1. Titum I. 4. &c. loca docent, & res oppido pervulgata est.

§. XV. Locus, qui nunc nos occupatos habebit, est sane omnium vexatissimus ad Galat. IV. 25. τὸ δὲ ἄγαν Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συσσιχεῖ δὲ κ. τ. λ. Si omnes, quæ huic loco intelligendo motæ sunt, difficultates, enumerare vellemus, & examinare, certe liber prodiret. His vero dubiis, quod hæc verba, ut nunc leguntur, commodum nancisci sensum constructionemque nequeant, permotus Celeberrimus longe atque excellentissimi viri ingenii R. Bentlejus hic glossema pariter, quod intrusum fit, reperisse putat in Epistola ad J. M. (hoc est Joh. Millium) quæ Joh. Malalæ Chronico subjuncta est, pag. 96. Conjecit enim ad v. 24. è regione vocabuli Σινᾶ, quod illic pariter occurrit, quempiam olim explicationis causa hoc addidisse in margine Scholion Σινᾶ ὄρος ἐστὶ ἐν τῇ Ἀραβίᾳ. Ea autem verba Scholiorum ab hinc in ipsum textum vicinum per scribas irrepsisse. Dein vero post συσσιχεῖ, expuncta particula δὲ, & Scholio ejecto, cum in modum v. 25. format τὸ δὲ ἄγαν συσσιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ, δαλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Hanc conjecturam non solum felicem admodum pronunciat Cl. Millius in Proleg. ad N. T. §. 1306. Sed & subjungit eam sibi tantopere placuisse, atque adhuc placere letio.

tionem, ut, absque unanimi Codicum in altera illa lectione consensu foret, eam intrepide genuinam pronunciaret. Accedit pariter circa hujus loci lectionem Bentlejo eruditissimus Kusterus, in præfat: ad Millii Ed. N. T. fol. 3. a. Sed cum ex Codice Börneriano, quo Cl. Millius caruit, & ille beneficio viri summe Rev. *Christ. Frid. Börneri*, Theologi Lipsiensis eruditissimi & elegantissimi, usus est, locum adhuc aliter paulo fingat, liceat, ut dein plenius de ejus sententia & argumentis judicari possit, ipsa verba exhibere. *Et sane, inquit, quæ proxime sequuntur, (in vers. 25. post verba Σινᾶ ὄρος κ. τ. λ.) συστοιχεῖ δὲ τῆ νῦν Ἰερουσαλήμ & c. non possunt referri ad montem Sina, tum propter sententiam loci, quæ interpretationem illam non patitur, ut Cl. Millius bene ostendit; tum etiam propter auctoritatem optime Codicis Börneriani, qui pro συστοιχεῖ δὲ κ. τ. λ. habet ἢ συστοιχεῖσα τῆ νῦν Ἰερουσαλήμ, quod vel constructio Grammatica connectendum esse docet cum verbis ultimis v. 24. ἢ τὸ ἐστὶν Ἀδ. In eodem Codice ante Σινᾶ ὄρος tam in textu Græco, quam versione Latina interlineari, recte deest vox Ἀδ, quæ omnes adhuc interpretes in magnam ἀπορίαν conjecit. Quis jam non videt secundum lectionem illius Codicis verba ista, τὸ δὲ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ non solum sententia, sed etiam constructionis seriem inter rumpere, & proinde ad modum esse probabile (ex sententia Bentleji antea laudati) particulam istam à librariis*

riis e' margine in textum translata esse. Et sane clara omnia erunt & plana, si, verbis illis e' medio sublatis, totum locum sic legas; μία μὲν ἀπὸ ἔργου Σινᾶ εἰς δεξιάν γεννώσα, ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ, ἡ συνσοιχῆσα τῇ νῦν Ἰερουσαλήμ δεξείᾳ δὲ &c. Hæc magna fiducia Critici nostri.

§. XVI. Diffiteri nequeo hanc conjecturam ejus esse indolis atque tanta maximam partem cum veri specie quâdam prolata; ut alibi quam in divino summi *Bentleji* ingenio nasci non potuerit. Simul atque etiam eam quondam primum legebam, mihi adeo arridebat, ut dudum, numne vera esset, suspensum habuerit. Sed ex quo ea pensitatori cogitatione examinavi, dubio procul hic virum summum maximo ingenio suo nihil aut parum profecisse, pervidebam. Cur enim minus ejus & Cl. Kusteri sententiæ possim accedere, facit (1) omnium *Codd.* ab antiquissimo ævo ad hunc usque diem scriptorum *consensus*, etiam omnium versionum ab ultima memoria adstipulatio. Horum ne *ullus* quidem est, quin in vers. 25. ea verba quæ Scholion esse censentur, exhibeant ut ipsa Scriptoris verba constantissime. Etiam ipse *Börnerianus*, quem tanto pere sequi è re sua esse judicat *clar. Kusterus*, eum ita ipso teste legit locum. Τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ ἡ συνσοιχῆσα. κ. τ. λ. Si itaque ille *Codex* adeo emendatus est, ut placet

cet viro docto, cur nec hic ejus sequitur ve-
 stigia Kusterus? Mirum autem potuisse
 omnes Codices in illud Scholion adeo *ἰμο-*
ῥοῦ *ῥαδὸν* consentire, nec ullum superesse ex
 cujus *omissione* ejusmodi Scholion quadam
 ex ratione posset evinci. Atque hoc ipsum
 est argumentum, quod & Clar. Millii adsen-
 sum merito retardavit, quo minus Cl. Bent-
 leji sententiam plane calculo suo comproba-
 re potuerit. Etiam Clar. Kusterus in nota
 ad. h. l. quam Millianæ subjecit, modestius
 ex parte sentire videtur, *dum aut ex textu ea*
verba ejicienda (quippeni si rei sacræ & litte-
 rariæ Dictator esset Kusterus?) aut *parenthe-*
si includenda monet. Dein (2) quod com-
 modio rem sensum, iis verbis ejectis, obten-
 dunt, id tantum *ea interstinctione* concedi-
 mus, quod ipsis ejus conjecturæ autoribus
 tum melior sit sensus & apertior; Non enim
omnes hinc sensum esse *melio rem* concedent.
 Fateor mihi sensum, iis retentis, æque com-
 modum videri atque ejectis, id quod dein
 satis evictum dabitur. Immedicabile igitur
 vulnus ense quidem aut Critica falce reciden-
 dum esse arbitramur. At pati velle, ut lo-
 cus sacrarum litterarum, unanimi omnium
 Codd. consensu non modo sed & ipsa sen-
 tentia per quam commoda sanus, tam violen-
 ta medicina circumcidatur, majus mihi fa-
 cinus videtur, quam homini, integro cor-
 pore, & innoxio, nasum aut artus amputare.
 Porro

Porro (3) omnino huic sententiæ advesa est particula δὲ quam post συστοιχῆς reperimus, quæ & Doctiss. Bentlejo adeo crucem fixit. Quantumvis enim ea in *quatuor* codicibus non reperiatur, tamen in multo pluribus magno *consensu* vetustioribusque legitur. Eam etiam omnino sensus loci, ut dein videbimus, requirit. Facile autem ea particula è codicibus quibusdam elabi potuit, propter ejus in subsequentiis repetitionem, δελύσαι δὲ. Neque solum hic particulam illam ejicit Clar. Bentlejus, sed & cum ante Ἀγάρ legatur ᾧ, ille legit τὸ δὲ Ἀγάρ, &, cum scribatur δελύσαι δὲ ille δελύσαι ᾧ. Vide in quas angustias se viri docti dent præcipites. Börnerianus codex, qui habet ἡ συστοιχῆσσι, unicus est, apparetque eum scriptum esse ab homine qui sæpius ad ingenium suum verba Apostoli formavit. Neque causam video quapropter ejus, qui vix *sexcentorum* annorum ætatem fert, Kusterus *omnibus* antiquioribus præferat lectionem. Neque est quod (4) magnopere gloriari possit idem vir doctus eum Cod. vocem Ἀγάρ omisisse. Multo minus hoc recte, sed mira scribæ factum audacia est, quod ea vox descriptorum in illam ἀπορίαν, in quam & alios interpretes, conjecerit, ut ea propter quæ ipse sensu æque ac Cl. Kusterus assequi non potuerit, confestim omittenda censuerit. Aut, quod multo videtur verosimilius, incuria ejus id contigit pro-

propter affinem sono præcedentem vocem
 ϑ. Unde Ἀγαρ, quæ continuo sequitur,
 omisit, quod eandem putarit cum ϑ vocem,
 & bis perperam scriptam fuisse. Id ipsum in
 numeris in locis aliorum Mscr. reperiri, cum
 voces sono similes junguntur, alteram eapro-
 pter omissam esse à Librariis, satis superque
 à viris doctis stuto comprobatum esse.

§. XVII, Ut vero locus hic obscuris-
 simus in luce ponatur quodammodo illustriori,
 ad ea *allegorumenæ*, quæ proponit Apostolus,
 genuinamque rationem *typi & antitypi*, sedu-
 lo attendendum est, quod, eo ordine ac rati-
 one, ut nos explicabimus, nescio an ab ullo
 traditum sit sacrarum interprete litterarum.
 Certè nullibi reperi. Apostolum, ut in hac u-
 niversa epistola loquitur de *servitute Judæorum*
 sub lege, seu V. T. & *libertate Christianorum*
 sub eo tempore *Evangelii*, quo eos hinc ex
 statu *servitutis* ad illum *libertatē*, pertraheret;
 Ita & hic eandem rem ex duplici typo *Saræ & A-*
garis illustrare, quarum *illa ecclesiam Christia-*
nam, hæc *Judaicam* respiciat, nemini vel Epi-
 stolam, vel hoc caput perlegenti, inexploratum
 esse potest. Evolvamus itaque breviter *typum*
 & *antitypum*. Occurrit

(A) ABRAHAM v. 22. Ille hic est typus *Dei*
 aut *Christi*, filii Dei, cui sub *utraque* œco-
 nomia *primæ* partes concedi solent. Ne-
 que

que hic alia ratione *Abraham* est typus Christi, quam, quod *duas* habuerit uxores, unam *liberam*, alteram *servam*. v. 22. æque Christus nactus sit *duplicem* Ecclesiam sub duplici œconomia (quæ passim ejus *sponsa & uxor*, ut notum est, dicitur.) quarum altera *Judaica & V. T.* erat *servilis*, altera *libera*, eaque *Christiana & N. T.* Ultra hoc tertium comparationis ille typus minime extendendus est.

(B) *Ambæ* illæ Abrahami UXORES, cum *Sara* libera, tum *Agar* serva, v. 26 - 31. Per

(I) AGAR *servam*, quæ œconomiam *legalem*, & quæ eo pertinent, adumbrabat, innuit typice intelligi

(1) VETUS TESTAMENTUM ipsum, seu totam œconomiam *legalem & servilem*, v. 24. Mulieres enim has *ambas* scribit esse, seu per eas intelligi *duo testamenta*. Per *Agar* autem indicari *vetus*, ex universo apparet Apostoli ratiocinio. Illud enim *servum* erat, & omnes, qui sub eo vivebant, ut *Agar* atque ejus filius, *serviebant*.

(2) MONTEM SINA, v. 24. 25. quia *lex*, quæ *servitutem* injungebat, ex *Sina* monte prodiit, uti ex *Agar* prodiit filius *servus*.

(3) Τὴν νῦν Ἱερουσαλήμ *eam quæ nunc est Hierosolymam*, v. 25. hoc est litteraliter, *urbem Hierosolymorum*, contra distinctam monti *Sioni*; typice vero, aut saltem metaphorice, *Ecclesiam Judaicam* suo tempore adhuc superstitem, & adhuc sub lege *Servitutis* viventem.

Huic opponitur altera uxor

(II) SARA libera, quæ adumbrabat œconomiam *libertatis* & quæ eo referenda sunt. Et quidem specialiter

(1) Ipsum NOVUM FOEDUS seu *legem libertatis Christianæ*. Quamquam id ῥηϊὼς hic non extet, patet tamen ex ipsa orationis serie, & maxime v. 24. quod *duæ* illæ mulieres sint *duo Testamenta*. Si itaque *Agar* V. T. Sara est N. T.

(2) Τὴν ἀνω Ἱερουσαλήμ, *Hierosolymam supernam*, hoc est, montem ZION. Ille enim opponitur illi, in *Agaris* typo, monti *Sina*. Uti enim ex *Sina* prodiit *lex servitutis*: Sic ex *Zione* prodiisse *legem libertatis* alibi declarabimus, uti & ex *Sara* filius *libertatis*. v. 28. 31.

(3) ECCLESIAM CHRISTIANAM, quæ Christo tunc colligi per Ministros suos cœperat: Quod ex omni-

bus omnino versiculis per ratiocinationem legitimam colligitur.

(C) FILII utriusque harum mulierum, v. 22. seqq. v. 27. seqq. Et quidem ex *Sara* & ex *promissione*, *Isaacus*; ex *Agar*, sed secundum *carnem*, *Ismaël*, v. 23.

(I) ISMAEL filius *Agar* & *servæ*, quæque cum eo contigere, denotant

(1) Τὸν νόμον καὶ τὰ σάρα, ut sæpius *lex Servitutis* vocatur in hac *Epistola*. Seu potius *homines*, qui sub hac *œconomia* in *servitute* vivebant, hoc est, *populum Judaicum*. Uti enim *Agar* in *lucem* prodidit *filium Servitutis*, & ex *Sina* prodiit *lex illa servilis*: Sic & *œconomia illa legalis* non alios tulit *liberos* seu *homines*, qui *eius sacrorum* & *Fœderum* possent esse *participes*, nisi qui huic *servili legi* collum submitterent.

(2) Quod ut ille filius, qui secundum *carnem* natus erat, seu *Ismaël*, persecutus est illum, qui natus secundum *spiritum*, v. 29. ita & nunc *Persecutionis Judæorum* in *Christum* & *Christianos* *typum* agnoscit *Ismaëlem*, verb. ἔτι καὶ οὖν.

(3) Quod, uti *Scriptura* dicit, *ejiciendam esse ancillam cum filio*, quod *filius ancillæ simul heres esse non possit cum filio*
libe.

libera. Ita & ejurandam esse & repudiandam *Judaicam religionem* seu *legalem servilemque cultum*, cujus *Agar*, & hominum, qui sub eo vixerunt, aut nunc vivunt jugo, *Ismaël* typum gessit: Ratio, quia nunc natus est *filius ex libera*, seu *Christo*, magis apposita ejus decreto *Ecclesia* collecta est, quorum hominum typus est *filius libera*: Ille autem cum sit *verus heres & ex asse*, non posse contingere ut *filius libera & filius servæ* sint *coheredes*. Adeoque qui *Dei fœderum* ejusque sigillorum *verus heres* esse tum temporis cupiat: debere & numero *filiorum libera* accedere, desertis & *servæ & filio servæ*. Atque is est sensus v. 30.

(II) ISAAC filius *Saræ & libera*. Indicat typice *opposite* ad *Ismaëlem*

(1) Τὸν νόμον κατὰ στυγμᾶ, seu *homines*, qui sub *œconomia libertatis Christianæ* vivunt, & *liberi* sunt, quemadmodum *Isaac* erat *liber & liberæ filius* v. 28 & 31. Speciatim

(2) Quod, ut *Isaacum liberum*, *Ismaël servus* filiusque *servæ* persecutus est; Sic & *Christiani à Judæis* interfecandi sint, v. 29.

(3) Ut Isaacus verus *beres* ex libera natus; sic & *Christianos* veros *heredes* esse Dei fœderum, v. 30. & toto capite. Ratio, quod illi sint *fili* *libere* & *promissionis*. v. 28, 31.

Atque in his versatur ratio horum *typorum* & *antityporum*. Qui vero iis comparationum generibus, quas Paulo debemus, non contenti sunt, & præter scripturam inter hos *typos* atque *antitypum* excogitant alias *similitudines*, quibus rationem *typi* inesse putant, videant, quo id agant periculo. Ego hæc large satis à Paulo explicata censeo, cujus *purpuræ* nollem viliores *ingenioli* mei *pannos* adluere.

§. XVIII. Explicata proinde *typi* atque *antitypi* indole, facile de sensu loci, adeo sollicitati, eoque satis commodo, constabit, & quidem meliori ratione, ut speramus, quam si illud *glossema* putativum e sacro textu expellamus. Ex quo enim de *Agare* & *Sara* ea explicat *allegorumena* Apostolus, & quod illæ sint *duo testamenta* dixerat, præcipue quidem *alterum* testamentum produisse à *Sina* monte, quod *servitutem* peperit, addit illud esse *Agar*. v. 24. Nam verbis *μία μὲν* non subaudienda vox *γυνή* *mulier*, sed repetenda ex prioribus *Ἀγαθήνη*. Illa enim *Ἀγαθήνη παλαιά* est *Agar*, quæ *Ἀγαθήνη* *servilis* est ex monte

te *Sina*. Hinc *Agar* æque ac mons *Sina* sunt ejusdem rei *typi*, ut & ex §. 17. lit. B. n. 1. apparet, nimirum œconomix *servitutis legalis*. Nam *ἡλὸς* referendum ad præcedentem vocem *δαλείων*, & interpretandum *quæ servitus denotat Hagarem*, aut, quod idem est, *Hagar denotat servitutum illam, quæ nata est in Sina monte*. Aut debet *ἡλὸς* referri ad *Ἀγ. δὴνυμίαν*, quod perinde est. Hæc vero de *Sina* æque ac *Agar* dicta, subobscura essent, nisi sequentia dein addidisset Apostolus. Quis enim exinde exculpfisset *Sina* & *Agar* idem esse *typice*? Hinc in subsequente vers. 25. Paulus, ut solet, clarius explicat, quæ de *Sina* & *Agare* antea dicta erant obscurius, inquit: *Τὸ δὲ ὄνομα Σινῶ ὅ ἐστι ἐν τῇ Ἀραβίᾳ*, hoc est, *Agar enim denotat (typicè) montem Sina in Arabia*, quibus verbis prioris versiculi ratio exhibetur, nihilque potest excogitari aut *clarius* aut *simplicius*. Vocabulum enim *ἔστι* ex usu *Hebrææ* linguæ, quæ vocabulo caret omnino, quo *significat* indicari posset, notare in *typis* omnibus SS. litterarum, parabolis, emblematis, sacramentis, id quod nos dicimus *latina* lingua *significat*, adeo certum & indubitatum, evictumque est evidenter, ut ineptus essem, si id ullo exemplo comprobare opus judicarem. Mirum hoc Viros Doctissimos, quod sciam, heic loci non vidisse, qui *ἔστι* hic *per est*, non *ratione typi*, ita ut diximus, explicandum esse volunt. Hinc sane omnis

nata est hujus loci difficultas, de quibus inter ceteros ad hunc locum consule Millium. Nihil enim est ineptius, quam *Agar* putare re ipsa esse *montem*, & quidem *montem Sina*. Nemo autem, credo, mihi vitio vertet, ut ob necessarium loci sensum, interstinctionem post *Agar* sustulerim, & has voces conjunctim legam. Quis enim nescit, veteres omnia conjunctim scripsisse, & commata illa heri aut nudius tertius demum nata esse? Sed, inquires, hæc si vult Apostolus, cur addit post *Σινᾶ* ea verba, ὅτι ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, cum priora suffecissent illis missis. Præterquam vero quod satis responsum fuerit, si dixeris, te non à consiliis fuisse Apostolo, quo scias, cur hæc addiderit, teque, quod hic scripta illa invenias, contentum esse: Satis tamen hæc res ex *more* Sacrarum litterarum explicari potest, quæ sæpius locis *Geographicis* obiter ulteriorem de ipsorum *situ* aliisque rebus addit explicationem. Exempla plura cum sint, unico contenti erimus, *Actor. XVI. 12.* de urbe *Philippi*, ἐκεῖθεν τε εἰς Φιλίππας (ἤλθομεν) ἧς ἐστὶ πρῶτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολῶνια. Denotant proinde hæc verba *Sinam montem Arabia*, & *Agar* idem *typice* significare, nimirum *æconomiam legalem*, cujus utrique *typi* sunt. Verba vero illa, quæ hæc excipiunt, συσχοιχεί δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ pertinent, ut recte vidit Millius, ad *Agar*. Nam de ea hic est principalis sermo, Ea igitur *Agar*

consonat illi, quæ nunc est Hierosolyma, seu Ecclesie Judeorum.. Quomodo consonat? Addit statim hujus rei rationem Apostolus: *Ἰσραὴλ οὐκ ἐστὶν ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ*, hoc est: Ea Judaica Ecclesia adhuc sub servitute est cum omnibus suis filiis, sive, qui illi adhuc adhærent, uti Agar cum filio suo Ismaële quondam erant sub servitute. Unde omnino apparet utriusque convenientia & *συνοχή*, quæ etiam ex collatione schematis Typici §. 17. erunt clariora. Observabis simul ex indole sermonis particulam *ἵνα* primo in loco reddendam esse vero, in altero *sed*, ut sit *causalis* pro *ἵνα*, cujus pariter rei mille exempla reperimus. Si vero *συνοχή* malis ad *Σινᾶ* referre, scias hoc creapse perinde esse, quod Sina conveniat cum Judaica Ecclesia seu ea quæ nunc est Hierosolyma. Quia æque Sina ac Agar ejusdem typi sunt rei. Atque ut Agar serva erat cum filio, etiam, ut Hierosolyma, quæ tum erat, cum suis Judæis seu filiis sub lege servitutis: Ita & ex Sina prodiisse tanquam ex matre legem servitutis, cujus respectu Judæi, adhuc sub servitute viventes, possunt dici filii Sinae montis, hoc est, legis illius cui addicti sunt, quæ ex Sina monte prodiit, ipsosque quasi mater peperit. Qui aliquos in SS. litteris ejusque typis habent exercitatos sensus, nihil hic gratis à me dici, spero concedent lubentissime. Quod autem v. 26. verba τὸ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, §. 17. lit. B. n. 2. neque de Cælo, neque de Ecclesia Christiana.

ἢ ἀφ' ἡτῶς, sed de monte *Sion* explicuerim, fecus ac solent interpretes, hujus rei alibi rationes meas exhibebo. Credo enim me de hoc loco satis & forte plus satis heic fermocinatum esse. Sed excellentis materiæ dignitas partim, partim illud studium, quo, quam apertissime fieri posset, ostenderem in hunc vs. 25. nullum scholion irrepsisse, hunc latorem mihi dicendi campum aperuerunt.

§. XIX. Sed nondum in his locis glossematum finis. Ejusmodi enim & in Gal. IV. 26. latere putat Doctiss. Millius. Cum enim de *superna Hierosolyma* dixisset Apostolus ἡλὺς ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν, illudque πάντων in paucis Codicibus & versionibus desideretur, addit: *Expunctum casu, vel etiam de industria non puto, quorsum enim? insertum magis videtur ex spatio marginali, ubi annotarat aliquis interpretamenti causa.* Mihi multo verosimilius videtur in illis Codicibus *omissum* esse id vocabulum ab amanuensibus, quod sine sensus damno abesse possit, unde & versiones, quæ non κατὰ πῶδα reddunt omnia, diserte non expresserunt. Præterea *genuinam* esse phrasin Apostoli πάντων ἡμῶν tot alia manifesto docent loca, quibus πάντες cum pronomine junctum reperimus. Cap. III. v. 28. πάντες ὃ ὑμεῖς εἰς ἐσὶ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Hebr. XIII. 25. *Gratia Dei sit* μετὰ πάντων ὑμῶν. Confer Tit. III. 15. 2. Cor. II 3. πεποιθὼς ἐπὶ πάντας ὑμᾶς. V. 5. ἵνα μὴ ὑποβῶ πάντας ὑμᾶς. VII. 15.

ἀνα.

ἀναπέπαιται τὸ πνεῦμα αὐτῶν ὅτι πάντων ὑμῶν.
 Philipp. I. 4. πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει με ὑπὲρ
 πάντων ὑμῶν. Adde & v. 7. ubi bis occurrit, v.
 8. & 25. alibique passim, ut de hujus lectio-
 nis γνήσιότητι non possit dubitari. Sic & sæpi-
 us integre dicitur πάντες ἄνθρωποι 1. Tim. II.
 4. Tit. II. 3. &c. cum alias πάντες multoties
 occurrat elliptice sub intellecta eadem voce,
 uti in ὑμῶν, si πάντων non additum fuisset, sane
 subintelligenda foret. Adde Joh. XVII. 10.
 τὰ ἐμὰ πάντα. Eam autem rem dici μητέρι ex
 qua quid prodit, uti ex *superna Hierosolyma* seu
Zione prodiit *lex evangelii*, quæ Christo illos pe-
 perit filios, res vulgatissima est. Liceat tamen
 de *terra, nostrum omnium matre* hinc dicta, locum
 nostro quoad verba non absimilem, sed cor-
 ruptum ex Syracide XL. adducere, quo hæc
 occasione emendetur v. 1. Αχολία μεγάλη ἐ-
 κήσα παντὶ ἄνθρωπῳ - - - ἀφ' ἡμέρας ἐξόδου ἐκ
 γαστρὸς μητρὸς αὐτῶν, ἕως ἡμέρας ἐπιτάφῃ εἰς
 μητέρι πάντων. Verba ἐπιτάφῃ manifesto
 sunt corrupta, neque sensum fundunt. Uti
 enim antea post ἡμέρας est *Genitivus ἐξόδου*, ita
 & hic ille necessario requiritur. Alexandrinus
 proinde Codex optime legit ταφῆς. Junge ita-
 que has voces pessime separatas ὅτι ταφῆς &
 optimum sensum nancisceris. *Cuilibet homi-
 ni multum molestiarum paratum esse, à die quo ex
 matris utero prodiit, usque ad diem sepulture, in
 terram omnium matrem.* Ἐπιτάφῃ enim est *se-
 pultura*, unde ὅτι ταφῆς, & ἐπιτάφῃ λόγῳ.

aliaque descendunt. In πάντων hic æque aut
 ὑμῶν, aut, ut hic plene dicitur, ὑμῶν
 subaudiendum est.

§. XX. In loco Hebr. XI. 37. *aliam* præ-
 terea glossam latere, ac quam §. 9. seqq. in-
 dicavimus, Erasmus & Beza censent, viri
 eruditissimi. Etiam V. cl. Thom. Gatacke-
 rus Miscell. Cap. 44. Existumant enim vo-
 cem ἐπερίσθενσαν in textum ex margine ir-
 repisse, quod sciolus quidam ἐπερίσθενσαν,
 quæ vox antea legitur, in ἐπερίσθενσαν emen-
 dare voluerit, atque eapropter illud vocabu-
 lum alteri adscripserat, unde utraque dein
 incaute recepta fit lectio. Qua vero ratione
 Junius, Faber, idemque dein Gatackerus lo-
 cum hunc contra ex ingenio emendare, sub-
 stituta voce alia, annisi sint, disces ex doctis-
 simi Millii ad h. l. annotationibus. Hujus
 vero egregii plane viri sententiæ subscribo
 prorsus, dum addit. *Atqui vero quorsum à re-
 cepta lectione recedatur, mirando plane omnium
 codicum consensu roborata (mirando, inquam;
 cum enim duæ voces consimiles simul ponuntur,
 vix est quin earum alteram unus aliquis scriba
 prætermittat,) quæ non modo non male, sed aptis-
 sime retineri possit, ego sane non video.* Indicari
 autem hac voce censet V. cl. quod fideles
 V. T. tormentis sint tentati, quo suppliciorum
 metu ad idololatriam & abnegationem veri
 DEI cultus adigi possint eo facilius. Hæc
 quin commoda sit explicatio, non abnuo,
 dum.

dummodo ostendatur *πειγίζειν* de violenta a-
 deo tentatione per tormenta & equuleos non
 inusitatum esse. Quidsi potius eam de ten-
 tatione, qua fideles sub V. T. sæpius aut per
 DEum aut Satanam, illius cum beneplacito,
tentati sunt, num in fide erga ipsum sint per-
 mansuri, acciperemus? In hac enim signi-
 ficatione *proprium* non minus ac *pervulgatum*
 in SS. litteris verbi *πειγίζω* usum, quivis con-
 cedat necesse est. Ita enim DEUS *πειγίζε*
ἰὼν Ἀβελὰμ ut in Græcis legitur exemplis,
 Genes. XXII. 1. sic & *πειγίζομαι* de tenta-
 tione à DEO occurrit Jacobi. I. 13. Sed ma-
 xime solennis est de tentationibus *Diaboli*.
 Ita *serpens* extitit *tentator* primorum homi-
 num Genes. III. Jobus ita a Diabolo toties
 tentatus est, ut ex libro, qui *Jobi* dicitur,
 constat. Christus ipse à Satana *tentatus* est
 Marc. I. 13. Matth. IV. 7. ubi in altero loco
 est *πειγίζόμενος*, in altero verbum compo-
 situm *ἐκπειγίζω* reperimus, cui eadem vis
 est & notio ac verbo simplici. Inde & diabo-
 lus per excellentiam *ὁ πειγίζων* *tentator*
 ibidem v. 3, adpellatur. Sed quid ea pluribus
 comprobamus, quæ cuivis in SS. litteris vel
 mediocriter exercitato, notiora sunt, quam
 ut de illis admoneri oporteat? Ea autem si-
 gnificatio non video quominus hic locum
 nancisci non possit, quia ita *tentari*, ut fide-
 libus sub V. T. sæpe contigit, æque grave
 est

est ac de *vita tolli*, cuius hic suppliciorum genera scriptor Epistolæ commemorat.

§. XXI. Cum in Epistola ad Rom. VII. 25. loco verborum *εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ*, quæ hic leguntur, habeant quidam Codd. *χαίρω τῷ Θεῷ*, ultima verba genuina esse Apostoli, & priora ex eorum interpretamento hunc in locum commigrasse, placet Clar. Millio non solum in not. ad h. l. sed & in Prolegom. ad N. T. §. 679 934. & 1232. Mihi vero dubium non est, quin contra *εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ* genuina sint Apostoli verba. Quoties enim non ea phrasi utitur, cum de *laudibus* Dei agit, aut *gratiarum* actione erga eum defungitur? Vide 1. Corinth. I. 12. XIV. 18. Rom. XIV. 6. Actor. XXVII. 35. 2. Thessal. I. 3. 1. Thess. II. 13. quæ & multoties aliis scriptoribus usitata, ut Johanni XI. 41. & Lucæ XVIII. 11. aliisque, quam & cum accusativo *εὐχαριστῶ τὸν Θεόν* reperimus Rom. I. 21. Quia etiam *ἔγω* utrumque denotat, tam *gratias agere*, quam *benedicere*, hinc loco *εὐχαριστέω* sæpius adhibetur *εὐλογέω*, etiam cum Dativo, 1. Cor. XIV. 16. *εὐλογήσῃς τὸ πνεῦμα*, & elliptice, subaudito *τῷ Θεῷ* vel *τὸν Θεόν*, Matth. XIV. 19. coll. Marc. VIII. 6. ubi *εὐχαριστήσῃ* positum. confer & Luc. IX. 16. Hinc solennis illa in SS. litteris formula *εὐλογητὸς ὁ Θεός*, de qua pluribus consule elegantissimas observationes Viri longe Eruditissimi ac longiore

vita Dignissimi *Gottfridi Olearii* ad Matth. VI. 9. Miror itaque Doctissimum Millium eam phrasin Pauli hic noluisse genuinam agnoscere. Occurrit quidem & phrasin $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega$, ut 2. Cor. II. 14. sed rarius. De in vero utraque tam plana est, ut utra eorum hic scripta sit, explicatione & interpretatione nullo modo indigeat, ut proinde altera non potuerit alterius loco ut interpretationem in textum intrusa esse. Qui vero loco $\epsilon\upsilon\chi\alpha\rho\iota\sigma\tau\omega\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega$ quidam codices habeant $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega$, facile divinando adsequor, quod, ut millies accidit, articulus $\tau\omega$ causa fuerit, quo eadem syllaba in ultima voce $\epsilon\upsilon\chi\alpha\rho\iota\sigma\tau\omega$ absorpta sit. Cum enim ita scriberentur majusculis litteris hæ voces $\epsilon\tau\chi\alpha\rho\iota\sigma\tau\omega\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega$, facile alterum $\tau\omega$ eludere potuit curam amanuensis, præcipue cum & $\epsilon\tau$ in eadem voce propter præcedentem $\omega\tau$ in $\tau\acute{\epsilon}\tau\omega$ v. 24. terminationem, sono & ductu fere similem, neglecta sit, unde venit $\chi\acute{\alpha}\rho\iota\varsigma\ \tau\omega\ \theta\epsilon\omega$ quorundam Codicum.

§. XXII. Superfunt & alia quædam loca, in quæ scholion migrasse multi existimaverunt, ut Luc. III. 36. 37. & Matth. XXIII. 35. de Zacharia *Barachie* filio pro $\iota\omega\alpha\delta\epsilon$, quorum illud hujus loco irrepsisse quidam contendunt, sed frustra nulla vel vero similitudine vel ullius nixi codicis auctoritate. Neque etiam Matth. XXVII.

9. *ισεπεις* esse scholion, cum in omnibus legatur codicibus, rectissime probavit Millius. Sed cum hæc atque alia dudum excussa sint, quid iis immoramur, præcipue cum hæc dissertatio, secus ac principio cogitaveram, longius excreverit? Receptui itaque canamus, ex quo iterum, id quod res est, professus fuero, *nullum* etiamnum me exemplum vidisse, à docto quopiam viro prolatum, quo scholion seu glossema in libros N. T. ex margine commigrasse, abunde probatum sit. Quapropter nec ejusmodi inveniri eousque perlubenter credo, quoad id melioribus, quam hucusque factum est, exemplis edoctus fuero. Ea quæ novi loca glossematum nuper postulata esse, hac dissertatione examinavi. Ceterum si alia superessent, quæ meam fugerunt industriam memoriâque, & que tamen scholiorum nomine accusata, de iis antea judicare nolo, quam ea sedulo examinare licuerit. Potuisse enim illabi ejusmodi glossemata certo credo: illapsa esse, si comprobabitur, & que credere, & veritati potius quam auctoritatibus locum dare longe omnium sum promptissimus & paratissimus.

IV.

Annotationes quædam
de

MICHAELE SERVETO, (a)

ad

Illustrationem eorum ; quæ in Cl. Viri
de la Roche (b) Bibliotheca Anglicana
Tom. II. P. I. de eo nuper nar-
rata sunt,

Ver-

(a) Hæc ad nos transmissa sunt ab aliena atque ignota no-
bis manu. Digna tamen omnino censuimus, quæ
heic locum inveniant, tum quod de hoc libro vix alibi
tot, tamque accurata inv. nias, quam hic occurrunt,
tum quod ea, quæ heic excerpta sunt, tam confusas,
tamque male digestas, ac cohærentes auctoris cogita-
tiones esse prædant, ut nullus periculi metus sit, cum
ullius, cui non peo pro corde est, ad sensum impe-
traturum, tamque effrænatam omnia arguant, atque
infrunitam audaciam, ut, si mitius de illo senseris
hactenus, nunc, si hæc legeris, in alia abire omnia co-
gare. Alias rarissimus omnium hic liber est, neque
quemquam mortalium novi, qui se illum, typis ex-
scriptum, oculis usurpavisse testetur præter Christ.
Sandium & Illustr. Mastichtium nostrum. Hic enim
in symbola quadam, quæ in Placcii theatro Anon. no.
674. occurrit, ita scribit: *Habui exemplar ex Biblio-*
theca nostra publica, in quo, postquam diu auctorem
inquisivissem, inveni tandem in fine literas M. S. V.
designantes MICHAELEM SERVETUM Villanova.



Verba Serveti, *Erat Christus in mente divina* &c. videntur Cl. de la Roche p. 81. Historiæ Serveti non esse intelligibilia, sed satis ille men-

num; Sed noli hæc de nostra Bibliotheca *Bremensi* intelligere, quod factum est ab elegantissimo *Boysenio*, qui de vita Serveti commentatus est. Quando enim illa scribebat Illustris Vir, neque ætate magis, quam meritis in rempublicam literariam & civilem venerabilis, nondum vivebat *Bremæ*, sed Professoris munere in Academia *Duisburgensi* fungebatur, adeoque de illius loci Bibliotheca etiam locutus est. Interea nescire nolumus Lectorem, nos librum illum in illius Academia Bibliotheca inquiri fecisse, sed irrito conatu, cum eum nunc disparuisse nobis nuntiatum sit. Alias eundem librum apud *Basilienses* fuisse, at inde *Dublinum* translatum esse, commemorat *Sainjorius*, sive, qui sub illo nomine latet, *Richardus Simonis* in *Bibl. Crit. T. I. c. 3.* In Bibliotheca *Principis Cassellanâ* eum quoque extare testatur *Sandius*, atque *G. Arnöldus*. Sed cum amicus, qui hunc ibi librum investigavit, eum non potuit reperire, & si alterum de erroribus *Trinitatis* librum ibi adesse nunciavit, dubitem quoque illum ibi extare. Causa illius eximie libri raritatis est, quod exemplaria tantum non omnia combusta fuere, sicut in noto illo *Dialogo*, qui *Vaticanus* inscribitur, legitur, *Thomam*, *Roberti Stephani* famulum, missum esse *Francfordiam*, ut libros Serveti, qui illic ad *nundinas* perlati fuerant, flammis deleteret. T. d. H.

(b) Clarissimus hic Vir, qui isthoc instituto suo de literis præclare meret, quando in principio illius dissertationis p. 77. de illis loquitur, qui alios ob hæreticos crimen morte plectendos esse judicarunt, eorum numero

mentem suam hac in parte declaravit in opere suo ultimo *Restitutione Christianismi*. (c) Filium Dei unigenitum, ante Jesum ex Maria natum omnino extitisse negat. Negat enim verbum, quod a principio, imo ab æterno fuit, fuisse Dei Filium. Sed Filium dicit à V. Fascicul. B b ver-

Lutheranos, ut vocat, eximit. Sed quod pace viri docti dictum velim, non tam historiæ Germaniæ, quam fortassis Angliæ suæ ac Galliæ videtur esse gnarus. Ne longius abeamus, nostra adhuc ætate, mense scilicet Octobri a. 1687. Lubecæ Petrus Gunther, Prusiacus ferrarius, capitis supplicium sustinuit, quod Christi Divinitatem non agnosceret. Idque factum est non inconsultis Academiis, *Kiloniensi* judicante, blasphemum omnino morte puniendum esse, sed indagandum prius, num ille Guntherus talis sit habendus; *Wittebergensti* autem illum ejus criminis omnino reum esse pronunciant. Et quis ignorat Urbanum Regium singulari libello a. 1558. probare conatum esse, hæreticos damnandos esse capitis? T. d. H.

(c) *Verus per omnia & integer Titulus libri Serveti talis est.*

CHRISTIANISMI
RESTITUTIO.

Totius Ecclesiæ Apostolicæ est ad sua limina vocatio, per integrum restitutâ cognitione Dei, fidei Christi, justificationis nostræ, regenerationis baptismi, & Cœnæ Domini manducationis. Restituto denique nobis regno cœlesti, Babylonis impiæ captivitate soluta, & Antichristo cum suis penitus destructo.

בעת ההיא יעמוד מיכאל השר

Καὶ ἐγένετο πόλεμος ὅτι ἦ ἔρχοντο

M D LIII.

Verbo assumptum fuisse, imo Verbum fuisse
quasi semen illud æternum quo Filius Dei in
tem-

In fine autem libri hæc posuit :

M. S. V.

1553.

Ex hoc Titulo liquet, locum illum Michaëlis cum
Dracone pugnantis, sibi quodammodo aptasse Serve-
tum, cõ fortasse lubentius quod etiam ei nomen esset
Michaëli. Pag. quoque 410. Operis ita scribit: „Pre-
„camur igitur, ô Domine Christe Jesu, • • Da servo
„tuo, militi tuo, ut contra Draconem serpentem Dia-
„bolum, qui potestatem Bestiæ. id est, Papæ dedit, po-
„tentia tua magna viriliter pugnet, & sequentia cir-
„cumcisionis mylleria ita aperiat, ut liber tuus omni-
„bus aperiatur. Tu enim ipse • • Danieli revelasti,
„utriusque Testamenti libros stante Romano Imperio,
„destructâ bestiâ esse aperiendos, ut nunc aperiuntur.
„Et quod tunc iudicium tuum in cælo sedebit, ut pu-
„gnantibus ministris tuis cornu Antichristi perdatur, &
„regnum tuum sanctis tuis restitatur. Dan. 7. Non
tamen se solum aut præcipue per Michaëlem Archange-
lum designari existimabat, sic enim pag. 628. in Epist.
ad Calvinum vicefima habet: „In hujus Ecclesiæ resti-
„tutione ego jugiter laboro: & ob id tu mihi succenses,
„quod pugna illi Michaëlis me immisceam, & pios o-
„mnes misceri desiderem. Sed locum illum diligenter
„expende, & videbis homines fore, qui ibi pugnant,
„animas suas morti exponendo, in sanguine & testimo-
„nio Jesu Christi. Angelos vero dici obvium est in
„Scripturis. Eo magis, quia in ipso cælo pugnant An-
„geli contra Draconem & alios Angelos Papatus. An-
„non credis Paparum suos præesse Angelos? Ergo destrui
„non potest sine Angelorum pugna. &c.“ Similia ha-
bet pag. 388. 389. 393. 394. 395. 668. Totum opus
constat paginis 734.

tempore fuit generatus. Si (inquit pag. 43. Resist. Christ.) Verbum assumpsisset feminam, tunc ipsum Verbum dixissent Filium Dei, & ipsam feminam filiam hominis: quæ res duos filios palam ostendit. Ipse Filius Dei esset tunc mulier, androgynus, masculo-fæmineus. Et hac inter alia ratione ostendere conatur, duos futuros fuisse filios, si ante Jesum hominem ex Maria natum ipsum etiam Verbum filius Dei fuisset. Per Verbum nihil aliud intelligit quam ipsius Dei Patris manifestationem, seu modum quò se Deus Pater creaturis manifestabat. Manifestabat se autem in forma formæ humanæ simili, ut hoc modo futurum illum hominem Christum, præfiguraret, præformaret, adumbraret & exhiberet, ut solet loqui Servetus. Formam illam, quam etiam *faciem Dei & personam*, id est rei aliqujus repræsentationem aut speciem & imaginem vocat, negat fuisse larvam seu imaginem creatam, aut Arii filium ex non exstantibus creatum, & distinctum quid à mente Dei aut à Dei Patris hypostasi hypostasin aliquam distinctam, sed ipsum Deum Patrem ita se manifestantem. Cujus personam aliquando gerentes Angeli, etiam Christum, humanam formam assumentes adumbrabant & præfigurabant. (d) Verbum itaque erat, Christi, filii futuri, repræsentatio & exhibitio. Atque hinc jam facile verba illa p. 81. Biblioth. Angl. alle-

Bbb 2

ga-

(d) Pag. 101. Angelus Christum præfigurans, Dei (Patris) personam induebat, & dicebatur Deus.

gata intelligentur: *Erat Christus in mente Divina preformatus, erat quidam modus se habendi, quem in se ipso Deus (Pater) disposuit, ut se ipsum nobis patefaceret, scilicet Jesu Christi effigiem in se ipso describendo.* „Non est (inquit Restit. Christ. p. 105.) sine significatione, quod in Veteri Testamento toties legas manus, oculos, faciem & pedes, corporalibus oculis visos: & quod nihil horum in Novo Test. reperiatur, sed ejus oppositum, nempe *Deus Spiritus est*, Ratio est in promptu, quia tunc Christi apud Deum persona figurabatur. *Non erat tunc realis distinctio Patris à Filio, sed ipsi Deo tribuebantur formæ corporeæ, quæ nunc sunt in filio.*“ Et p. 93. „Non erant quidem materialia membra, sed eorum in luce Dei relucens & præfiguratio Christi.“ Et p. 47. „Fuit vero (Verbum) fulgor divinus, hominem ab æterno referens, & eum mundo proferens.“ Et p. 108. „Si locum mihi aliquem ostendas, quo Verbum illud filius olim vocetur, fatebor me victum. Dicam igitur cum Scripturis, olim Verbum, nunc filium. Et olim in Verbo personam Filii.“ Item p. 110. „Verbum illud, quod erat apud Deum, & erat ipse Deus, erat Jesu Christi persona, per quem Deus gloriæ videri voluit, videtur, & perpetuo videbitur.“ Et p. 113. „Si faciem illam, quam Moyses non vidit, mihi clare monstraret Deus, aliud nihil viderem, quam faciem Jesu Christi gloriosam.“

Exinde jam concludendum esse videtur, minus recte in Bibl. Angl. p. 98. afferi quod Servetus Jesu Christi præexistentiam crediderit, cum ille Verbum præexistens sollicitè à Filio Dei aut Jesu Christo distinguat. Videamus tamen, quid ille p. 77. Restit. Christ. dicat: „Ille idem, qui erat *Spiritus Elokim*, est nunc Spiritus Christi. Quà sola Spiritus ratione, habens Spiritum immundum dicere posset, ego ibi eram, videbam, faciebam: quasi non homine sed Spiritu ipso loquente. Per quem modum Simon Magus malo Spiritu imbutus, stantem se vocari faciebat, & se ab initio stantem esse dicebat, instar personæ Christi.“ Et p. 86. „Ut illa eadem virtus, quæ creata sunt sæcula, tanta sicut tunc erat, sit nunc in Christo, propria ipsius facta, ut dicat eam suam esse, sicut ait, *Omnia quaecunque habet Pater mea sunt*. Potestas Verbi facta est potestas carnis, sicut *Verbum factum est caro*. Ideo Christus suam virtute facta esse sæcula iustissime dicere potest. Idem est autem, quod dicas, per me factum est, aut meam virtute factum est. Inquam sententiam Paulus pluries repetens ait, *per Filium, per Christum, per quem, per ipsum, id est, per immensam illam quæ in eo est Dei virtutem*. Ad Hebræos ait *Verbo Virtutis Christi omnia fieri & gubernari*. Verbo filii audis omnia fieri, ne Verbum cum Filio metaphysice sumas &c.“ Sed quærerem libens ex iis qui hac in re cum Serveto sentire videntur,

dum per Christum omnia ideo creata esse existimant, quia per divinitatem in eo nunc habitantem omnia olim creata fuerunt, quid per istam divinitatem intelligant? Si Dei Spiritum, Dei Verbum à Deo Patre realiter non distinctum; ergo idem est ac si dicerent Jesum Christum hominem hesternum per Deum Patrem nunc in se habitantem, omnia olim creasse; aut Jesum Christum factum esse Deum Patrem. Ergo cum Athanasio, aut Ario, aut Socino de Filio Dei sentiant necesse est. Clarius loquitur Servetus p. 133, 134. quando præexistentiam Christi declarans allegat Rabbinos veteres, qui septem illas res ante mundum extitisse tradunt; *Nomen Messie, solium gloriae Dei, civitatem Jerusalem, Gebennam &c.*, Adverte, inquit, in quo sensu Hebræi dixerunt, Mesiam ab initio esse. Non Trinitariorum Sophistarum more, sed quia ejus *persona & forma visibilis, erat in Deo subsistens &c.* At vero, si per personam & formam Messiae, nil nisi repræsentationem & adumbrationem futuri Messiae cum Serveto intelligas, etiam Faustus Socinus Christum ante Mariam præextitisse crediderit. Dicit quoque p. 146. „In Deo fuit prius semen generationis (nempe Verbum) quam esset factus realis Filius Dei“ nempe homo Christus Jesus. Et p. 259 „Spe quadam aut seminis præparatione dicitur Filius, sicut tempore Legis Christus erat Filius. Tota lex est veluti mulier præ-

„prægnans vere nondum adepta Filium - -
 „sicut generantia omnia prius in se ipsis se-
 „men formant, quam ad fœtum emittant, ita
 „fuit in Deo semen Verbi priusquam in Maria
 „filius generaretur.“ Si Servetus Christi præ-
 „existentiam credebatur, credebatur & nostram;
 „Sic enim p. 226. scribit: „PETRUS. Quali-
 „ter nos eramus in Christo ante Angelos?
 „MICHAEL. in Spiritu regenerationis æter-
 „no. Qui regeniti sunt erant ante Angelos
 „dignitate & Christi proposito dono. Quam-
 „vis reali creatione secundum tempus præce-
 „debant Angeli, est tamen *substantialis* quæ-
 „dam in nobis dignitas, quæ præcedebat, quæ
 „nos ante tempus & sine principio eramus in
 „Christo - - Spiritus regeneratorum sunt Deo
 „*consubstantiales* & *coæterni*. Hinc dicebamus
 „Sanctos de cœlo descendisse: quia nemo ad-
 „scendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.
 „Per Spiritum vivificantem ipsi è cœlo descen-
 „derunt, per eundem in cœlo (f. in cœlum)
 „assumpti. Descenderunt, quia jam antea e-
 „rant in cœlo. Civitas ipsa descendit de cœlo,
 „& à Deo ipso Apoc. III. & Hebr. XII. Si scin-
 „tillam illam Spiritûs huic in regeneratione
 „datam, credis esse *veram Dei substantiam*, crede-
 „re debes, eam ipsam esse illi ab æterno consti-
 „tutam, mensurâ tali de plenitudine Christi ab
 „æterno sumptâ.

Jam ex hoc loco patet etiam, quo pacto Ser-
 vetus Christum *verum Deum* esse crediderit,

nempe propter Divinitatem æternam ipsi unitam à Patre collatam. Qua ratione & omnes Sanctos Deo consubstantiales & cõternos facit. Multa in eam rem passim habet. Eodem loco statim objicit PETRUS: „Solam „unam Christi substantiam in Deo fuisse dixi- „sti, & nunc plures in eo Spiritus ponis. MICH. „Unus est Spiritus Christi Sanctus, æternus, „multorum Spirituum substantias & mensu- „ras continens - - Spiritus Electorum Dei „inter se sunt distincti & sunt unus Spiritus „in Deo &c.“ Item p. 134. „Eodem modo „terrestrem illam Jerusalem ab initio condi- „tam probant (Rabbini) ex 4. Reg. XIX. & E- „saj. XXXVII. 49. & Psal. LXXXVI. Sed quia „illa fuerunt umbra alterius veritatis, quia nos „sumus Christo *substantialiter* per Spiritum æ- „ternum infiti, verius nos dicimus, Christi „participes esse modo peculiari in eo ab æter- „no. Horum in Christo regenitorum Spiritus sunt in Christo *substantialiter*, in libro gloriae descripti. Æternitatem hi habent, seu „participationem æternitatis Spiritus Christi, „cum Spiritus illius *substantialem* habeant por- „tionem, seu substantialem halitum. Ad „hunc modum decuit, folium illud Christi re- „gale suis ab æterno electis ornari & associari. „Huc extenditur, quod Apostolis ait Chri- „stus, *Vos ab initio mecum estis* - - Ecce quanta „vis est æternitatis Christi, & quanta *æternæ il- „lius Deitatis sit in nobis communicatio*, secun- dum

dum speciales formas & Spiritus. Non solum vero Spiritus justorum, sed & aliorum hominum, & rerum omnium lucidæ formæ, sunt ab æterno in Deo, ut de ideis mox dicemus.

Si dicas, Servetum negare Christum esse creaturam, simile quid etiam de omnibus fidelibus credidisse censendus esset, si verba ejus ad vivum refecarentur. Sic enim inter alia pag. 558. „ Constat itaque internus noster homo ex divina (e) Christi & humana Spiritus nostri natura, ut ob id nos merito dicamur participes divinæ naturæ -- Internus noster homo est vere cœlestis, de cœlo descendit (f) de substantia Dei, de substantia Christi divina“. Et pag. 559. „ Internus noster homo Deus est, sicut Christus est Deus & Spiritus S. est Deus. „Et

B b 5

p. 634.

(e) Libens hic ex Serveto quærerem: Si homo Christus Jesus ob Spiritum & Virtutem divinitatis omnium creatricem sibi collatam, dici potuit præextitisse & omnia creasse, annon etiam de omnibus fidelibus talia asseri possent Spiritus & divinitatis Christi participibus? Certe inde sequitur etiam per Mich. Servetum & Joh. Calvinum, si Spiritum Christi divinum habuerunt, omnia esse creata in cœlo & in terra, visibilia & invisibilia &c.

(f) Habent quod sibi gratulentur, hodierni fanatici, & *Ψευδομυσιχοι*, dum, quoad ea, quæ de Christo in nobis, ejusque substantia in nostram veluti transmutanda crepant, se Servetum prorsus *ἰμοψυχου* sibi habere vident. Sed & animadvertant simul, cum a deliriis Spinosæ non multum abluere. T. d. H.

„pag. 634. Philosophi vere ac etiam Theologi
 „affirmant esse menti hominis insitam divini-
 „tatem, esseque animam Deo *ὁμοούσιον* *consub-*
stantialem.“ Adeo ut re ipsa Servetianismus
 quod attinet doctrinam de persona Christi,
 nihil aliud sit nisi phaleratus quidam, ampul-
 lis & sesquipedalibus verbis oneratus potius,
 quam ornatus Socinianismus. Est un Soci-
 nianisme outré & raffiné. Profecto non
 damnasset Socinum Servetus, quia pag. 51.
 „dicit: “Tu igitur, pie Lector, si generatio-
 „nis (g) Christi & divinitatis ejus plenitudi-
 „nem omnem non assequeris, crede semper
 „eum esse Mesiam à Deo genitum Salvatorem
 „tuum. Hoc est tibi unice credendum, ut in
 „Christo vivas.” Tantum abest ut Christum
 creaturam reapse esse neget, ut Christum so-
 lius naturæ humanæ vocabulum esse dicat.
 „Homo est, (inquit pag. 7.) qui de Spiritu
 „Sancto genitus est. Hominem Christum
 „aperte describit Lucas cap. 3. dicens: *Et ipse Je-*
sus incipiebat esse triginta annorum, & putabatur
filius Joseph. Ille ipse qui putabatur filius Jo-
 „seph, erat Jesus Christus filius Dei. Actorum
 quo-

(g) Pag. 680. “Generatio erat in Deo ipsa Genera-
 „tionis cogitatio; simul & exhibitio. Generatio erat
 „constitutio generationis, quod ad generationem
 „tendebat, & (l. ut) urbis ædificatio, quæ ad ædi-
 „ficationem, sicut sapientiæ domus cum suis columnis
 „erat ab æterno ædificata. „ Confer omnino pag.
 683. 684. & pag. 7. En iterum Socinianismum
 phaleratum!

quoque 13. Judæis ait Paulus, *Deus juxta promissionem ex David semine eduxit Christum, hunc à vobis interemptum.* Itidemque & Joann. I. dixit Joannes Baptista, *Non arbitremini me esse Christum.* Quam ridicula esset Joannis excusatio, si Christi vocabulum ad hominem non referatur. (b) Frivola esset Christi interrogatio, & Petri responsio Matth. 16. cum dixit Christus. *Quem me dicunt homines esse?* Et Petrus respondit, *Tu es ille filius Dei viventis.* Illum ipsum quem alii Eliam, alii Jeremiam esse putabant, ait Petrus esse Christum filium Dei. Non dixit, Incorporeus ille filius in te est, sed tu es filius. Et quando ibi jusfit Christus, ne cui dicerent, quod ipse esset Christus, quid per illud pronomen demonstrasse putas? Si ipse Christus non est quomodo nos Christos facit? Rei tam apertæ non esset diutius insistendum, nisi corrupti essent eorum animi, qui mysterium incarnationis non intelligentes, rem incorpoream Christum esse, & realem filium putant, cum tamen omnibus seculis verus homo sit semper dictus

(b) Cum Serveto hac in re sentiebant Apostoli & alii ante Christi mortem & resurrectionem, discipuli, ut ipse probat Theodorus Mopsuestenus apud Facundum Hermianensem in defensione Trium Capit. edit. Sirmondi lib. III. Cap. IV. pag. 118. 119. lib. VI. Cap. III. p. 244. lib. IX. Cap. II. p. 371. 373. seqq. Cap. III. p. 244. lib. XI. pag. 498. 499. Lib. XII Cap. I. pag. 515. seqq.

„dictus Christus. &c. &c., Quando Christum
 creaturam esse negat, creaturam meram intel-
 ligit vulgaremque, alioqui sibi ipsi aperte con-
 tradiceret : Pag. 250. inquit. “ P. E. T. An-
 „non caro illa, quam de Maria sumpsit Chri-
 „stus, erat pura creatura? MICH. Caro ipsa
 „Christi, qualis erat in sepulchro, formam
 „substantialiorem habuit divinam. Et præter
 „divinam lucis formam, habuit caro illa ele-
 „mentarem archetypi substantiam, verbi ele-
 „menta vere divina substantiam Dei. *Ab ipso*
 „*Mariæ utero sumpta est materia carnis, sumptus*
 „est sanguis purissimus, *pura creatura.* San-
 „guine maternò à formatrice vi feminis trans-
 „formato, plasmatur embryonis caro in nobis.
 „Et similis in Christo fuit embryo, similisque
 „materni sanguinis transformatio, a semine
 „illo increato. Superiora tria elementa sunt
 „ab utroque parente, tam in Christo, quam in
 „nobis. *Terrea vero materia est tota à sola ma-*
 „*tre,* tam in Christo quam in generabilibus
 „omnibus. Omnium est terra mater, & ter-
 „reum elementum semper à matre. Nihil est
 „à patre terreum, quod geniti hominis compo-
 „sitionem intret, sicut nec in Christo fuit. Si
 „quid est in paterno nostro semine terreum,
 „contenti spiritus est custos, & in membranz
 „illius, quæ dicitur *χαρσιον,* externam abit in-
 „crustationem. Paternum verbi semen sub-
 „stantialiter in Christo continebat aquæ, aëris
 „& ignis elementarem substantiam, seu super-
 ele-

elementarem, qualem & in nobis continet paternum nostrum semen &c. &c. Objiciebatur Serueto quod humanitatem Christi veram & integram negaret Bibl. Angl. pag. 182, ex hoc nempe quem protulimus loco. Sed simile quid ex eodem ipso loco etiam de aliis omnibus hominibus negasse censendus esset.

De lapsu Adami & Christi sacrificio, quod Satisfactionem vocant, melius omnino sentiebat quam Socinus: "Nosse (inquit pag. 355.) prius oportet, qualem ob Adæ peccatum sit passus totus orbis iacturam, ut Christi restitutio integra planius dignoscatur. " Et pag. 360: "Insufficiens est ratio eorum, qui peccatum ajunt intrasse per Adam, sicut per Jerobeam intravit idololatria in Israel - - cum longe plura effecerit Adam. Nam mortem ille in nobis causavit, reos nos nasci fecit, & in nobis impresit, ut adulti amplius peccemus. Causa hujus est, quod Serpentem Diabolum nobis intrusit (i) Serpenti potestatem sui faciens. Ita ab oppresso & leproso nascuntur oppressi & leprosi &c &c. " Item pag. 379: "Nec lege naturæ, nec lege scripta, se instaurare homo poterat. Homo satisfacere non sufficiebat, & de reatu mortis agebatur. Oportuit ergo homine majorem sibi satisfacere, & morte satisfactionem mortis

(i) Peccatum, quod ut ait Paulus, operatur in nobis omnem concupiscentiam, est Diabolus ipse. In Resist. Christianismi. pag. 651.

„tis fieri: quæ mors justum esset illius à morte
 „redemptionis pretium. Hæc autem fuit mors
 „pretiosissima filii Dei, pretium alterius mor-
 „tis dignissimum, grata Deo redemptio, im-
 „mensa compensatio. Universalis hostia pro
 „universali delicto, hostia gratisima, cujus
 „nidore delinitus Pater iram remisit &c. “ Et
 „pag. 624. “ Quicumque filius Adam salva-
 „tus unquam est, per passionem Christi salva-
 „tus est, per eamque ab inferno liberatus. Pas-
 „sionem, inquam Christi, aut jam exhibitam,
 „aut ad id à Deo prævisam. “ De Baptismo
 „itidem non cum Fausto Socino sentiebat.
 „Pag. 356: “ quem (inquit) in iis qui Christi
 „fidem non norunt esse nullum dicimus, ac
 „perinde parvulis inutilem, & *adultis necessa-*
 „*rium.* „

Scripturæ locorum quorundam tradit expli-
 cationes, alibi quod sciam, non reperiundas. In-
 ter alias mihi placuit sequens, non usque qua-
 que tamen nova: Pag. 562. 563. “ Sed quid
 „(inquit) de illa *in sanandis ægris olei unctione*,
 „quâ utebantur Apostoli, qua nec Lex, nec
 „Christus usi leguntur? Respondeo, Quem-
 „admodum Christus dicens, *cum jejunas unge*
 „*caput tuum*: unctionis usum fuisse docet, non
 „unctionis præceptum dat: ita Apostoli un-
 „ctione solitâ utentes, unctionem illam non
 „instituunt. Hoc docent Jacobi & Marci ver-
 „ba, quæ sunt tantum enunciativa. Apосто-
 „li, inquit, ungebant oleo multos ægros, & sa-
 na-

nabant, Marc. 6. Jacobus inter Judæos agens,
 in circumfisione & plerisque aliis judaizans,
 docet presbyteros super infirmum orare,
 quando eum unguunt Jaco. 5. *Orent*, inquit, *su-*
per infirmum, ungentes eum oleo, & oratio fidei
sanabit eum. Unde Pharisaica colligitur tra-
 ditio, quæ in lege non ita scribitur. Illud
 verum est, prophetas & apostolos, ultra sa-
 nationis donum, aliis remediis usos. Un-
 de facilius potuerunt remedium usitatum
 retinere, cum dono sanationis utebantur.
 Oleo se Judæi ad ornatum, & ad salutem un-
 gebant, & olei unctio inter benedictiones le-
 gis continebatur. Naturale est in morbis,
 agros linimentis aliquibus obliniri: & tunc
 oratio adjuncta proderit. Ægyptiorum
 prisco seculo unus & communis erat olei
 usus ad morbos omnes sanandos, ut de cha-
 melino refert Galenus. Sacris item literis
oleo inungere idem est, quod medicamento oblinire,
 Esai. I. v. 6, sicut Samaritanus oleo inunxit vul-
 nus proximi sui, cum tamen purum oleum nulli
 vulneri conveniat. Rudes itaque adhuc Apo-
 stoli unctioem illam, tempore quo refert
 Marcus, ut evangelicam non excogitarunt,
 cum præsertim ipsi tunc omnes judaizarent.
 Fuit igitur Judaica traditio. In rebus aliis ma-
 joribus judaizare cogebantur Apostoli, præ-
 sertim Jacobus, qui Jerosolymis in media se-
 debat judaizantium turba, Act. XXI. & Gal.
 III. - Purificationes, rasuras, & legis vota,
 Paulo

„ Paulo servanda consulebat, sicut & aliis un-
 „ ctionem illam. Cogebantur illi, ut liceret
 „ de Christo loqui, coram Judæis simulare, à
 „ suffocato & sanguine abstinere, & alios Juda-
 „ ismos observare, propter offendiculum, &
 „ Judæorum metum. Babylonicos alios longe
 „ deteriores idololatrarum ritus nos hodie ser-
 „ vare aut dissimulare cogimur, propter offen-
 „ diculum & metum. Quia sævius multo in
 „ nos agunt bestix ministri, quam egerint Ju-
 „ dæi in Apostolos. Sanguinem semper siti-
 „ unt, & cum Cajapha & Pharisæis exclamant,
 „ *Non licet nobis interficere quenquam.*“

Morborum omnium causas cacodæmoni
 adscribit, prout & p. 360. supra allegatâ pec-
 cata nostra morbos animi serpenti Diabolo per
 peccatum Adæ potestatem in nos naçto nobis-
 que intruso adscribit Autor p. 391. 392. „Si
 „ (inquit) Adam non peccasset, adhuc fuissent
 „ caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas: non
 „ tamen morbi, nec venena, nec medicamenta:
 „ sed fuissent omnia sine nocumento in vitâ Pa-
 „ radisi. Ex dæmonis igitur actione sunt mor-
 „ bi. In morbis esse dæmonium Hippocrates
 „ docet. Est in morbis à dæmone quippiam,
 „ est spiritus infirmitatis. Sicut mors ipsa est
 „ dæmon, teste Johanne, ita & morbus ipse
 „ mortem inducens, dæmon est. Operatione
 „ dæmonis turbata est humani corporis har-
 „ monia, factæ viarum obstructions, putredi-
 „ nes, flatus, excrementa noxia, fluxiones, fe-
 „ bri-

brilis æstus, & rigor. Hinc Christus, quasi
 dæmonem quendam increpavit febrem, &
 Spiritum infirmitatis abire jussit. Non abs-
 re Lucas medicus vocat *spiritum infirmitatis*,
 Cap. 13. Contractionem vocat ibi Christus
vinculum Satanae: sicut Paulus infirmitatem (k)
 suam dicit esse *angelum Satanae* 2. Cor. XII. Hinc
 oratione nostrâ aliquando fugatur malus spi-
 ritus, & pellitur morbus. Naturali quoque
 medicamento pellitur, pulsâ materiâ, quam
 spiritus inficiebat, & alteratâ formâ noxiâ.
 Imperfectior tamen est hæc medendi ratio, &
 passim alterâ parte nocet, venenum veneno
 pellens. Objiciet fortasse quispiam, si corru-
 ptio omnis est à peccato, sequitur, rem nul-
 lam fore destruendam, si Adam non peccas-
 set. Non sequitur. Nam fructibus vescebatur
 homo, qui in substantiam ejus per nutrimen-
 tum fuissent conversi, & destructa creaturæ lu-
 cis forma. &c. &c.“

Locus ille de circulatione Sanguinis, quem
 Cl. de la Roche p. 309. Tom. I. ex alio auctore
 & abbreviatum ex parte, & male descriptum
 produxit, reperitur plenior in Restit. Christ.
 p. 169 - 171. Ita se principium ejus habet:
 Dicitur in nobis ex trium superiorum ele-
 V. Fascicul. Ccc men-

(k) Sic H. Grocius post quosdam Veteres, & G. Bullus E-
 piscopus Menevensis, qui in Posthumis suis locum
 istum de morbo aut dolore acuto Pauli à Satana immis-
 so explicat, & omnes alias explicationes solide refellit.
 Non videtur tamen satisfecisse Clarissimo de la Roche
 Bibl. Angl. Tom I. p. 385.

s, mentorum substantia esse spiritus triplex, na-
 turalis, vitalis & animalis. Tres spiritus vo-
 cat Aphrodisæus. Verè non sunt tres sed duo
 spiritus distincti. Vitalis est spiritus, qui per
 anastomoses ab arteriis communicatur venis,
 in quibus dicitur naturalis - - Tertius est
 spiritus animalis, quasi lucis radius, cuius se-
 des est in cerebro & corporis nervis. Verba
 apud Cl. de la Roche sequentia: *Uti autem intel-
 ligatur quomodo sanguis sit ipsissima vita, non
 sunt ipsius Serveti. Plura enim istorum loco
 Servetus habet, & postea p. 170. ita pergit:
 Non dicitur anima principaliter esse in parietibus
 cordis, aut in corpore ipso cerebri aut hepatis, sed in
 sanguine, ut docet ipse Deus, Genes. IX. Levit. XVII.
 & Deut. XII. (1) Ad quam rem est prius intelligen-
 da substantialis generatio ipsius vitalis Spiritus, qui
 ex aëre inspirato &c. - Pag. 311. lin. 2. apud Dn.
 de la Roche, lege: ob membranulas illas, seu val-
 vulas cordis, usque ad horam natiuitatis nondum a-
 pertas, ut docet Galenus. Postea legendum: ita
 ut qui tenuior est, superiora petat, ubi magis adhuc e-
 laboratur. - - in quo ex vitali fieri incipit anima-
 lis ad propriam rationalis animæ sedem accedens.
 Reliquas minoris momenti diversitates in de-
 scriptione hujus loci à Cl. Douglassio, aut quem
 is sequitur auctore, factas omitto.*

Citat quoque Dn. de la Roche in vita Serve-
 ti

(1) Videntur loca ista Scripturæ de anima aut vita in san-
 guine sita, primam dedisse Serveto occasionem de circula-
 tione Sanguinis cogitandi.

tip. 99. 100. quædam ex isto ejus libro loca eorumque paginas. Sed paginæ istæ videntur esse, non libri à Serveto editi, sed exemplaris inde à librario quodam descripti. Nam in meo libro manu elegante & adeo accurate descripto, ut ipsa quoque Typographi sphalmata exhibeat, paginæ impressi libri ubique ad marginem notatæ, istis paginis non respondent. Nisi dicas Restitutionis Christianismi duas prodiisse editiones. Et sane qui exemplar ipsius libri, quod possideo, descripserat, Indices utriusque libri tam *de Trinitatis erroribus*, quam *Restitutionis Christianismi* ita proponit: *Index primi libelli excusi anno 1531. 1532.* & postea: *Index ultimi voluminis (i. e. Restitutionis Christianismi) excusi 1553. & 1554.* Ante mortem Serveti, qui anno 1553. exustus est, jam prodierat ista Restitutio Christianismi. Hic vero etiam an. 1554, impressa esse dicitur. Pag. etiam 100. lin. 9. vitæ Serveti, extat vox nihili *idololatre*. Legendum ex meo exemplari *idololatrante*. Sic quoque alibi, p. nempe 241. Restit. Chr. loquitur Servetus: Dolent enim anime sanctæ, quando nos circa ipsarum cadavera *idololatramus*.

Negat Cl. de la Roche p. 195. 196. Servetum in Africa unquam fuisse. Sane in Restitutione Christ. nulla hujus itineris apparent vestigia, cum Romæ se fuisse, tantum innuat p. 462. Extant tamen in Viri Cl. Theod. HÆI de Onolactiæ Dissertatione p. 14. sequentia: *Ho nomine* (nempe caput asininum esse De-

um Christianorum) à Turcis Christianos superiori
 seculo traductos, (m) cum ipse in Africa versare-
 tur,

(m) Fateor hæc à me citato loco scripta esse, sed illa verba,
 dum in Africa versaretur, non in libro Serveti exstant,
 sed tantum conjecturâ nituntur, quam ex vulgari tra-
 ditione hauseram, lubenter illam derelicturus, nisi eam
 ex certis documentis comprobata videro. Verba ipsa
 Serveti, quæ citaveram, non pigebit adscribere: Vide
 nunc pietatem doctrinæ, quam à Paulo didicerunt, quæ
 Deum habere longas aures, & esse asinum concedit, nec
 mirum, si Turci nos asinarios vocant, postquam nos
 Deum vocare asinum non erubescimus. Spectant hæc ad
 illa, quæ paulo ante leguntur, sed pronomine demon-
 strante invisibilem Deum, perhorresco concedere, hoc est
 mortuum, hoc est homo sitiens, esuriens, hoc est asinus,
 hoc habet longas aures, sicut impudicissimi Sophistæ
 incircumcisis labiis concedunt. Fateor me non tantum
 Oedipum esse, ut quid hæc sibi velint, capiam. Sed tam
 obscura omnia sunt & Delio natatore opus habent, quæ
 ille scripsit, ut illi recte illud vulgatum applices: Qui
 non vult intelligi, non debet legi Ceterum non anti-
 quorem testem illius narrationis de Serveti in Africa
 commoratione invenire potui Gul. Lindano, Episcopo
 Ruræmondano & Gandavensi, qui anno æt. 63. Chri-
 sti 1588. diem suum obiit, adeoque Serveti συγγράμματα
 fuit. Hunc enim in Africam trajecisse, ibique Alcora-
 num edoctum esse Servetum scripsisse testatur Faustus
 Socinus in Anti Vieko mihi pag. 62. editionis Tarnovi-
 anæ. Secuti eum deinceps sunt multi alii, atque inter
 eos magni nominis Viri, Jacobus VViekus, Jesuita, Hear-
 Spondanus, Stanislaus Lubieniecicus, Johannes Micre-
 lius, Lucas Osiander, Nic. Sanderus, G. Hornius, Con-
 radus Schlüsselburgius, Johannes Henricus Heidegge-
 rus, Fridericus Spanhemius, Ludov. Morerius, Joh. J.
 Hoffmannus, Salomon Ernestus Cyprianus, & nuper
 quoque Joh. Jac. Hottingerus. T. d. R.

ur, testatur Michael Servetus in libro de Trinitatis erroribus edit. 1531. Rem amplius confirmare posset inter alios Vir Cl. Joh. Wilh. Peterfenius, qui librum Serveti typis excusum habet.

Horrenda illa & iniqua verba (n) Serveti in Trinitarios & doctrinam de Trinitate prolata, passim in ista Restitutione Christ. reperias. Pag. 625. *Ulcunque, inquit, nunc excusantur (Judæi) si non credunt perverse Antichristi & Trinitariorum doctrinae.* Par pari referunt plerique Protestantes, qui Socinianos, sic dictos, & Pontificiis & Judæis, quos passim tolerant, pejores esse decernunt. Et p. 31. 32. „*Athei* „*vere sunt Trinitarii omnes.* Nam quid aliud est „*sine Deo esse, quam de Deo cogitare non posse,* „*objectâ semper intellectui nostro quadam* „*imminente trium rerum confusione, à qua* „*semper quando de Deo cogitamus demen-* „*tamur.* *Tres sunt in cerebro mali Spiritus,* qui homines ita fascinant, ut ait Joannes Apoc. 16.^{ca} Non semel locum istum Apocalypseos de tribus illis Spiritibus, similibus ranarum, de Spi-

Ccc 3

ri-

(n) Vix oculis meis fido, quando hæc lego, quin

mibi frigidus horror

Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.

Et sane sunt ea ejusmodi, ut illa magistratus Christianus in Turca, vel Judæo, vel ethnico sibi subiectis, nedum in homine inter Christianos nomen suum proficiente impune ferre non possit. Neque fortiorem Apologiam quemquam pro senatu Genevensi scribere posse puto, quam hæc ipsa e Serveti scriptis exhibendo.

T. d. H.

ritibus Beelzebub, in eam rem allegat, ut p. 35. 41. 204. 406. 407. 534. 581. 602. 667. & post p. 695. (o) (Notandum tamen, Servetum ita loqui voluisse non de ipso Deo qui est in cœlis, quem Trinitarii colunt, religiosus enim erat Servetus; sed de ipsorum conceptu & sententia de Deo, quam sibi in suo cerebro aut imaginatione formant.) Et p. 59. 60. „Quibus ille (David Kimchi) scite respondit, „si in illis aternitatibus duæ distinctæ res incorporeæ, similes & æquales pariter erant, gemelli duo erant, non pater & filius. Ac perinde, si tertia ibi similis, & duabus æqualis addatur, ter geminos dices Geryones.“ conf. (p) post p. 695. Trium rerum monstrum occurrit p. 581. Chimærarum filiatio p. 61. Triceps monstrum p. 119. & post p. 695. Triceps illusio p. 581. Hekate $\tau\eta\iota\kappa\acute{\epsilon}\Phi\alpha\lambda\omicron\varsigma$ p. 406. Triceps Cerberus ibid. & p. 682. & post p. 695. Apparitio Cerberi p. 674. Tres Chimæra p. 450. Invisibiles chimæra p. 677. Impostura Diaboli p. 578. Illusiones demonum p. 676. Impossibile monstrum p. 578. Bellerophontis chimæra post p. 695: Utinam his convitiis abstenuisset!

Accusat Dn. de la Roche Servetum imprudentiæ p. 110, quod per Genevam è Gallia fugam capessere voluerit. Sed

(o) Oâternio penultimus mei exemplaris periit, & descriptus est in ejus locum alius ex alio exemplari manuscripto libri Servetiani, in quo paginæ typis excusi libri non erant notatæ. ideo hic scripsi: post p. 695.

(p) Notanda hæc sunt contra illos, qui, cum Calvinus has blasphemias Servetum evomuisse scriberet, de ea re dubitarunt. Inter eos est Grotius, in Voto pro pace eccles. Serveti libri, inquit, non Genevæ tantum, sed & aliis in locis per Calvini diligentiam excusi sunt. Fa-teor tamen me, dum vixi, exemplum vidisse Latine, in quo ea certe non reperi, quæ ei objicit Calvinus. De-buisset meminisse vir magnus librum, quem in oculis habuit Calvinus, plane alium esse, ac illo, quem legit, quique impressus fuit a. 1532. T. d. H.

si per Regionem Pontificiorum fugiens captus fuisset, quantæ nunc imprudentiæ reus haberetur, quod non per Genevam potius & Helvetiam tamquam per pacatas regiones iter inlituisset! Excusat etiam quodammodo crudelitatem Calvini & Genevensis Magistratûs p. 78. & partem criminis hujus in Ecclesiam transfert Romanam; ab ea enim & Calvinus & Genevenses hæreticos e medio tollere didicerant. *Sed, inquit, Pontificii neminem umquam Religionis ergo occidissent, audeo asserere, neque civitatem Protestanticam ad mortem condemnaturam fuisse Servetum.* Credo equidem. Sed hæc ratione magis adhuc excusabitur Servetus. Ille enim conviciari & hominibus & eorum religioni diversæ, non tantum a Pontificiis, sed & a Lutero & a Calvino ipso, qui ei prius & multoties ex libris impressis conviciatus fuerat, didicerat. *Existimabat se posse eadem libertate scribere contra doctrinam de Trinitate, quâ Reformatores scribebant contra Transsubstantiationem* Cl. de la Roche p 87. Quis non exhorrescat eum legit quâ intemperantia linguæ calamique Lutherus non solum Schvvenckfeldium virum bonum & nobilem sed Reges etiam & Principes exceperit, proscideritque! Insania & Enthusiasmo subinde (q) abreptum fuisse dicit

Ccc 4

La

(q) Ejusmodi Enthusiastarum spiritum jam pridem Serveto tribuit Bellarminus in præfatione p. II. Controv. de Christo, quem in finem citat Calvini Inst. L. IV. c. 16 qui testatus fuerit Servetum se summum orbis terræ Prophetam nominavisse. Sed hoc in adducto loco frustra quæsi. Ceterum obiter notare liceat illum ecclesiæ Romanæ Purpuratum in illa de Serveto narratione aliquoties hallucinatum esse, v. gr. (1) scribit eum operam dedisse Scholis Lutheranorum, cum tamen inter illos fere nunquam versatus sit, nisi Lutheranos omnes eos dicere velis, qui cum Lutero ab ecclesiæ Romanæ communione discesserunt. (2) Ait eum innotescere cœpisse a. 1532, cum tamen liber ejus jam mense Augustus anni 1531. pro-

La Rochius Servetum p. 157. Enthusiasmo quidem ideo fortasse, quia p. 51. Restit. Christ. scripserat: „Ego quanto potui affectu ab Uncto illo, qui solus est nobis pro signo positus, cognitionem hujus veritatis instanter orans, aliquid per ipsius gratiam obtinui, quamvis nec perfectus sim, nec perfecte apprehenderim.“ Verum eadem ratione etiam Justinus Martyr dicendus foret Enthusiasta, quia non semel, ni fallor, in Dial. cum Tryphone, ubi docet, Christum ante secula Deum, postea in Maria incarnatum fuisse, asserit sibi a Deo peculiarem factam esse gratiam, ita intelligendi explicandique Scripturas. Insaniam quod attinet furoremque, (1) infinities major erat in Cal-

dierit. (3) Tum porro dicit juvenem fuisse annorum 25 cum tamen, si la Rochio credendum est, (p. 79. d. 28. Aug. a. 1553. annos quadraginta quatuor se tantum vixisse coram iudicibus suis testatus sit, unde patet, eum, cum illum librum de Trinitatis erroribus vulgaret, annorum tantum fuisse duorum supra viginti & simul patet error Fausti Socini, qui in Anti-Wieko Servetum, cum supplicio afficeretur, jam senem fuisse, & Calvino multo grandiorem natu asseverat, (4) Narrat porro eum exultum fuisse in media Genevensium urbe, eum tamen id factum fuerit Campellis (Champey) qui locus urbe ad jactum circiter sclopeti distat. (5) Neque id contigit anno 1555, ut Bellarminus vult, sed a. 1553. licet eundem errorem multi alii deinceps erraverint. Sicut & frequentissime in eo viros doctos lapsos esse, animadverti, quod Servetum dicunt Tarragonæ in Arragonia natum esse, cum tamen hæc urbs sic Catalonia, non Arragoniæ & Servetus in urbe Villanova lucem primum inspexerit, unde Villanovanum se vocavit sæpius. T. d. H.

(1) Parcius ista VIRIS tamen objicienda putemus. Non enim ego quidem omnia, quæ cum Serveto acta sunt, defendere, & libere profiteor, me magno mercaturum es.

Calvino & Genevensi Magistratu, (s) quod hominem doctum, rei litterariæ agrisque utilem, nullius cri-

se, si vel Servetus nunquam in manus Genevensium incidisset, vel si illi hominem in urbe sua non comoraturum, sed Neapolin tendentem non detinuisent. In ea quoque me fateor hæresi esse, hæreticum, qualem, nisi alia crimina accedant, non posse salvis caritatis ac moderationis legibus, à Domino nostro præscriptis, puniri morte. Accesserunt tamen tot talesque in hoc negotio circumstantiæ, quæ prorsus aliam rei induerunt faciem, quæ, si non ab omni culpa liberare Genevenses, qui tamen hic nihil, nisi post longam deliberationem, reque prius cum quatuor Helvetiorum Cantonibus communicata, egerunt, factum tamen eorum valde emollire atque excusare possunt. Nostri nunc instituti non est hæc diducere latius præsertim cum justitiam illius rei tot Viri alii summi, ac celeberrimi nominis pridem ostenderunt. Videantur, quæ *Beza* in vita *Calvini*, *Rivetus* op. T. III. p. 1033. *Morus* in Or. de *J. Calvino*. *J. H. Ottius* in præf. Ann. *Triglandius* in Hist. Eccl. p. 11. contra *Uytensbogardum*. *Joh. Hornbeekius* in app. ad cont. Socin. pag. 16. seq. *Simplicius Verinus* i. e. *Cl. Salmasius* in Epist. ad *Jul. Pacium* de libro *Hug. Grotii*, *Carolus Drelincurtius* pro *Calv.* p. 282. seqq. *Franc. Turretinus* in Theol. El. XVIII. 34. §. 49. & nuper celeberrimus Tigurinorum Theologus *Joh. Jacobus Hottingerus* in hist. Eccl. Helv. T. III. p. 545. & 801 - 811. præcipue contra *G. Arnoldum* disputans, eam in rem attulere. Quamquam, si quid in eo à *Calvino* peccatum est, id ecclesiæ Reformatæ attribui non potest, cum in ejus præstantissimi Theologi neque verba, neque facta jurare didicerimus.

T. d. H.

(s) Oprandum sanè esset, ut amplissimi reipublicæ Genevensis proceres tabulas publicas actorum cum *Serveto* publici juris fieri sinerent, sicut & eas, quemadmo-

criminis (t) nisi intemperantiæ styli & linguæ in opinio-
nes aliorum & in personam Calvini reum convictumque
in

dum a magistratu Genevensi Tigurum transmissæ fuere
in Archivo ecclesiæ Tigurinæ etiamnum adservari ex
citata celeb. *Hottingeri* Hist. Eccl. Helv. p. 809. didici.
Interea loci speramus hanc rem propediem confectum
iri, quando plenior nobis *SERVETI HISTORIAM*,
quam molitur dabit, Vir elegantissimæ doctrinæ, judi-
ciique exasciati *J. L. MOSHEMIUS*, Lubecensis, cujus
raræ profecto animi dotes in illustrius produci theatrum
atque amplioribus excitari præmiis. quam quidem ad-
huc factum est, merentur. Si quis interim plura de Ser-
veto noscere cupit, conferat elegantem de illo disserta-
tionem *Petri Adolphi Boysen*, quæ Witembergæ Saxonum
a. 1712. prodiit. Ceterum Auctori, qui Servetum, nullius
criminis, nisi intemperantiæ styli & linguæ in opinio-
nes aliorum & in personam Calvini reum ad rogam
damnatum esse audeat scribere, liceat tantum regerere,
quæ *Beza Andreæ Dudithio* olim respondit, in epist. quæ
inter ejus epistolas prima est. *Quis te fascinavit, mi
Frater? Servetumne, quæso, qui Dei substantiam &
mutabilem fecit & rerum omnium partem esse docuit.
Qui Filii Dei æternitatem negavit: qui naturarum
unionem hypostaticam sustulit, qui S. Spiritus hyposta-
sin ac divinitatem est inficiatus, qui Patrem, Filium,
Sp. Sanctum, Cerberum tricipitem (horresco rese-
rens) toties appellavit: qui animæ mortalitatem as-
seruit, qui veterem Israeliticam Ecclesiam in harum
porcorum transformavit, qui Mosen ridiculum im-
postorem fuisse scripsit, qui Catabaptismum defen-
dit; qui denique totos annos triginta & amplius, Deo
viventem maledixit, quemquam Christianum dicere ob
religionem, vel intemperantiæ styli & linguæ exu-
stum ac non potius ob impietatem indomitam, ob blas-
phemias innumerabiles ad quas vel ipsi diabolici hor-
rescant, justis tandem pœnis affectum? Aut quod*

in carcere jam pessime habitum ad rogam damnaverint, quam quidem Serveti quod Calvinii bilem in se concitaverit.

Mira profecto fuit Dei dispensatio in Serveto, quod venerit Genevam, ut bonus ait Farelus, Si hoc non accidisset, in Deorum veluti numerum sublatus fortasse fuisset Calvinus (u) aliique nonnulli. Jam vero videmus, primos præcipuosque Reformatores, ne homines quidem fuisse humanos, nedum verè Christianos, & inhumani nihil ab illis fuisse alienum. Ut eorum auctoritate eo promptius rejectâ soli Sacræ innitatur Scripturæ; cum videamus principio quidem & Lutherum & Calvinum & alios nonnullos Reformatores, bono ni fallor, Dei Spiritu fuisse actos, sed successu rerum postea inflatos tumidosque, Spiritu hujus mundi fuisse agitados, atque inde dissentientes & verbis sæpius lacerasse & ad mortem usque fuisse persecutos, aut exilio saltem mulcandos decrevisse. Miror (x) quod Dn. de la Roche, cui gratias alioquin

idem in vita Calvinii scribit: *Sumtum de Serveto supplicium, non tam ut de Sectario quodam, quam ut de monstro ex mera impietate horrendisque blasphemiiis conflato, quibus totos annos triginta, tum voce tum scripto, cælum & terram infecerat.* T. d. H.

(t) Vide Celeberr. Christiani Thomasi Dissertationem Juridicam: *An hæresis sit crimen?*

(u) Bonum interea factum est, & de quo Calvinii discipulis non parum habemus gratulari, nihil fere illi alicujus momenti potuisse salva veritate objici, nisi fortassis hoc unum, quod in causa Serveti contigit, Quod si de aliis quoque religionum statoribus id affirmari posset, *Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Achivi.*

(x) At nos miramur virum doctum hæc potuisse mirari, cum nihil certius sit hanc fabulam *execrabilem calumniam* jure summo dicendam esse, donec ex certis documentis constiterit veram illam atque indubiam

quin agimus magnas, quod nobis veriore[m] historiam Serveti tradiderit, traditionem illam de Calvino cum Servetum ad rogam duci videret, subridente, execrabilem vocet calumniam pag. 188. Quasi talia ab ingenio Calvini abluderent, qui capitale ejus supplicium sperabat, optabatque, quia quot post ejus miserandum supplicium annis, adhuc eum *canem vocat Hispanicum*. Si Gallus fuisset Servetus, Gallus Gallum Gallicum canem non appellasset. Toti nationi conviciatus est. Et fortasse omnibus Hispanis Theologis, si ipsi, ut Servetus, convicia dixissent, subrisisset, si eos ad rogam duci vidisset.

esse. Si enim accusasse sufficiet, quis demum innocens erit? Ego puto hoc eandem fidem mereri, quam illud quod Tilemannus Heshusius in libro de S. coena edito a. 1562. se a quodam claro viro accepisse commemorat, illum videlicet vidisse Calvinum publico iudicio assidentem, atque sententia sua condemnantem Servetum capitali iudicio. Audiamus ipsum Calvinum in Opusc. p. 817. Ex quo convictus est, me nullum de poena verbum fecisse, non solum boni omnes viri mihi testes erant; sed malis etiam concedo, ut proferant, si quid habent. Quemadmodum etiam illud fortasse quod paulo post additur per aliud fortasse non sponte sua prorsus cernit ac destruitur. Hoc nigrae succus loliginis, hoc est aerugo mera! T. d. H.

F I N I S.

